34-3-A-2

5

95

GEORGII AGRICOLAE

DE PESTE LIBRI TRES.

FRO BEN

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ANNO M D LIIII.

34.2.A.2

PRAECLARO ET DOCTO VIRO, D. HIERONYMO

Kiſuuettero, utriuſq; Iuris doctori,
& Illuſtriſsimi Saxonum Ducis, &
Electoris Auguſti Cancellario,
Georgius Agricola
S. D.

CVM mortales, uir præ-
clare, permultis mor-
borum generibus af-
fligantur, peſte nullũ
eſt grauius & perni-
cioſius. nam acerbiſsimos commo-
uet dolores, & breui temporis ſpa-
cio, quo uulgatur, exercitus prælian
tis inſtar ſtrages horribiles facit. ſed
prælijs decertantes in interitum uo-
luntarium ruunt: aliquo peſtis gene
re conflictati contra uolũtatem do-
lorum cruciatu pereunt. quare illis à

Deo meliorem mentem debemus optare, hos medicina, quoad fieri poteſt, ad ſalutẽ reducere: uel, ſi non dum in unum aliquem peſtilentem morbũ delapſi ſunt, integros, quod ſatius eſt, incolumesq́; ſeruare. tria uerò peſtilentiæ genera eſſe, ex ueterum Græcorũ ſcriptis intelligimus. duo cognouit Hippocrates Cous in arte medica in primis clarus & nobilis: tertium etiam Galenus Pergamenus longè medicis omnibus doctrina præſtans, & Auenzoar, natione quidem Maurus, ſed Arabicis literis eruditus. Ipſe quater peſti primi generis interſui, bis medici munere fũctus ægris per eos, qui manu medẽtur, medicinam adhibui. ter quoq; ſuperioribus annis ſecundi generis peſtilentię calamitatibus remedia inueni. ſed fames, quanquam bis meis

tempo-

temporibus in his Germaniæ regio nibus fuit,& iccirco plebs ex malis ci bis aſſumptis in morbos incidit, tamen eò progreſſa non eſt,ut peſtilẽtiam excitaret: multoq; minus inopia ſalubris potionis,quod aqua uel optima, etiamſi uinum aut ceruiſia interdum uulgo deſit,noſtræ regio nes abundent.In his autem uitæ periculis uerſatus quædam animaduer ti:aliqua ſcriptores Arabici & recen tiores tam Itali quàm cęteri notarũt. ſed ante eos multa Hippocrates obſeruauit in uſu medendi & ægrotorum tractatione:nonnulla Rufus Epheſius annotauit:plura Galenus ra tiõe & uia docuit.quibus omnibus, ſed potiſsimùm Hippocratis & Galeni ſcriptis, ingenuè fateor, fretus his tribus libris trium peſtis generũ ortus,naturas,cauſas,curatiões ſum

perſecutus. qui propterea in tuo nomine apparent, quòd Georgius Cõmerſtadius ſocer tuus, uir prudens & grauis, pro ſuo ſtudio, quod ſemper in me habuit, multa magnaq́; beneficia in me contulerit: & tu compluribus rebus ſignificaueris, te bonas artes magni facere, atq; mihi eſſe amicum. Vale, Kempnicij Hermundurorum ſiue Miſenorum VII. Cal. Mart. Anno ſalutis humanæ

M. D. LIIII.

GEORGII AGRI-COLAE DE PESTE LI-ber primus.

DE lue illa grauiſſima &
uiolentiſſi ma, quę ſpa-
cio temporis nõ ita lon
go plurimis, aut certe
multis, hominibus ne-
cem affert, dicturo con-
uenit conſiderare quibus nominibus ap
pellet: qualis ſit morbus: quibus de cau-
ſis oriri ſoleat: quàm his ipſis uaria et mul
tiplex ſit: quibus notis cauſarum, alia ab
alia ſecerni poſſit: quid uniuerſis eius lu-
is generibus ſit commune: quid ſingulis
proprium, quo ipſo unũ ab alio differat:
quos potiſſimum aer peſtilens ſuo uenẽ
no inficiat: quos peſtifer ſua intemperiẽ
lædat: qui perniciosum ſuccum ex corru
ptis cibis uel potionibus aſſumptis colli
gant: quibus modis ab his malis nobis ca
uere poſſimus: quæ res indicio ſint ali-
quem ijſdem eſſe affectum: quę bona in
quaqꝫ peſte correptis ſigna ſint, quę ma-
la: quę medicamenta ad eos ipſos morti-

feros morbos dare oporteat. Itaq; iſta lu-
es à Latinis ſcriptoribus peſtis & peſtilẽ
tia nominatur, à Lucretio poeta etiã pe-
ſtilitas: à Græcis uerò λοιμός. Nemo autẽ
dubitare poteſt, quin peſtis ex aere peſti
lente uel ex eiuſdem diuturna intempe-
rie orta morbus ſit communis, qui uidet
eam uno eodemq; tempore inuadere in
homines incũtis ætatis, mediæ, extremæ,
tam muliebris quàm uirilis ſexus: tã eos,
qui aquam bibunt, quàm qui uinum, uel
ceruiſiam, uel aliam potionem inebrian-
tem: tam eos qui ſecundariũ panẽ edunt,
quàm qui primarium ex quocunq; gene
re frumẽti: tam eos, qui carne & piſce cæ-
terisq; exquiſitis & opiparè apparatis ue
ſcũtur, quàm qui lacte, caſeo, legumine,
alijsq; uulgaribus: tam eos qui otioſam
ætatem ſine ullo labore traducũt, quàm
qui aſſiduè in operoſa aliqua arte uerſan
tur. Sed cũ morborum communiũ, quo-
rum omnium ſicuti cauſa, item ortus cõ-
munis eſt, duo genera ſint, alterum alicu
ius regionis proprium, alterum ei cũ aliјs
regionibus commune, ſeu plures regio-
nes eodem tẽpore affligat, ſeu aliã alio,

peſtis in poſteriore genere numeratur. Il lud uerò Greci uocāt ἔνδημον & ἐπιχώριον, Latinis indigenam & patrium dicere licebit. quod genus elephantioſis eſt, Aegyptijs quodammodo propria: podagra Atticis: ſemitertiana Romanis: duo morbi Arabię, quorum alter ex ore, quod uitiat, apud Grecos nomē inuenit, alter ex cruribus, quę infeſtat: gutturis tumor Alpinis quibuſdam gentibus, quo qui labo rant gutturoſi dicuntur. nō quòd hi atq; omnes alij morbi alicuius regionis proprij in cęteris regionibus & oppidis non naſcantur, ſed quòd in illis frequētes ob omnibus communem uel loci naturam, uel aquam, uel aerem, uel uiuendi cōſuetudinem. nàm etiam gutturoſi in alijs locis quàm Alpibus ſimilibus'ue reperiuntur: quanquàm perpauci. alterū morborum communiū genus Gręci ἐπίδημον & ἐπιδήμιον appellant, Latini communi nomine luem. ſed cui uerbū è uerbo exprimere libuerit, ei popularem uel uulgarē licebit nominare. huius generis duę ſpecies ſunt: altera commune nomē retinet, quæ mitis paucos ex multis interimere

ſolet, & quidem plerunq; ſerius: magis enim in lõgos quàm pernicioſos morbos euadit. qualem in Thaſo ex aeris intẽperie frigida & humida ortã Hippocrates deſcribit. altera peſtis uocatur, quę dira ſemper plurimos celerius necat, aut certe multos. uerũ neq; luis neq; peſtis etiã nomen cuidam morbo certo eſt impoſitum: ſed quicunq; in una uel pluribus regionibus in cõplures homines inuadit, lues appellatur: cui hoc præterea peculiare eſt, plurimos, aut multos, ut dixi, perimere, peſtis. cùm autẽ de morbis peſtilentibus compertum habeamus, omnes eſſe febriles, eius uocabuli uis ita definit̃ à nobis. peſtis eſt lues febrilis, diris malis, quę ſimul cum ea incidunt, infeſta, contagioſa, plurimis hominibus, aut certe multis uno eodemq; tẽpore pernicioſa. Qualis morbus ſit peſtis, definitione explicaui, nunc quibus de cauſis oriatur dicam. Theologi deum, cui non uniuſmodi pœnas ſcelerum merito pendimus, cauſam peſtis eſſe dicũt: aſtrologi quoſdam ſiderum poſitus. contra horum opinionẽ mihi non libet pugnare, contra illorũ piam

ſententiam nemini Chriſtiano licere pu-
to. nec uero medici neceſſe habent iſto
modo cauſam peſtis altius & à capite re-
petere: quippe qui, quòd philoſophię a-
lumni ſint, ea perſequi debēt, quę uel ſen
ſu percipi, uel mente comprehēdi, uel ex
ſenſu perceptis aut mente comprehenſis
intelligi & demonſtrari poſſunt. Itaq;, ut
euidentes cauſas perſequar, peſtis ſępius
oritur ex aere graui & peſtilente, minus
ſæpe ex diuturna aeris intēperie, rarius
ex malis cibis & potionibus, quę gignūt
corporis ſuccos ad putreſcendum aptos,
& febrim, cùm exigua quędam occaſio
ab aere, qui nobis offunditur, oblata fue-
rit. Verum aer peſtilēs efficitur aut ex pu
tridis exhalationibus, ſiue cadauera ho-
minum aliarum ue animantium putredi
nem expirent, ſiue cœnoſi & inſidentes
quidam lacus uel ſtagna uel paludes, ſi-
ue uiſcera terræ: aut ex tetris & mortife-
ris ſpiritibus, quos Charoneę ſcrobes ex
halant, ſi quando plures, quàm conſueue
runt, effuderint: & quidem putridas. Pu-
treſcunt autem & ſanie diffluunt cadaue
ra humana in primis extraneo ſolis calo-

ri expoſita. quod fieri ſolet cùm uel prælio commiſſo acerui militum inſepulti iacẽt in campis: uel multitudo hominum, quæ per oppida agrosq; fame perijt, paſſim caret ſepultura: uel multi, quos è naufragio fluctuum agitatio mortuos eiecit in litora, inhumati auibus & feris carniuoris laniandi relinquuntur. Primo modo cædes, quas Romulo regnãte Fidenates & Romani excurſionibus in agros factis inter ſe fecerũt, in Latio peſtis eſt cõſecuta: item ſtrages, quas Turca anno à partu uirginis milleſimoquingenteſimo uiceſimonono in Pãnonia ſuperiore edidit: altero fame enectos & inſepultos in Toringia milleſimoquadringẽteſimo triceſimo quarto: tertio Capraſijs ob milleſimo quingẽteſimo uiceſimo quinto militum cadauera, quę me odoris fœditate de litore depulerunt. ea Cæſariani, cũ regem Galliarum prælijs fregiſſent, in Ticinum iniecerant, is rapuerat in Padũ. qui rurſus in mare, quod ipſa in litus eiecerat. iſtius modi putridis expirationibus aer infectus fuiſſe uideri poteſt, qui anno humanæ ſalutis cẽteſimo ſeptuageſimo

ex Auidij Caſsij arcula aurea, in Apollinis templo, quod fuit in Seleucia Babyloniҽ inuenta, erupit: cùm eam M. Antonini Veri miles, ut Iulius Capitolinus ſcribit, incideret: uel ex adyto, cùm id eiuſdē milites, ut Marcellinus tradit, qui tamen fictum eſſe putat, reſerarent atq; perſcrutarentur rerum pretioſarum, quas ſperabāt in ipſo reperiri poſſe, gratia. nā iſtum ſpiritum haurientes peſte cōflictati ſunt. quæ primo in eius regionis habitatores inuaſit: deinde in reliquos Aſiæ, atq; illius etiam quҽ propriè ſic uocatur: tum in Grҽcos: poſtea in Romanos. in quorum regiones non tam cōtagio ſerpſit, quàm aer peſtilens uentis perlatus fuit. Simili modo cadauera equorū, cum multi moriuntur in caſtris ſtatiuis, igni non abolita putreſcunt. unde Lucanus canit:

Corpora tū ſoluit tabes, & digerit artus.
Traxit iners cœlū fluidæ contagia peſtis
Obſcuram in nubem.

Piſcium quoq; & beſtiarū cadauera, quæ mare eijcit in litus, uel iuxta id in ſicco relinquit, putreſcūt. multa uerò eijcit cùm amnes terrā inundantes in ipſum ſerpentes,

tes, & in his dracones rapiunt, eosq; ſalſę, quarum ſunt inſueti, necãt. id quod anno quingẽteſimo nonageſimo Oſtiæ accidit poſtquã Tiberis Romæ præter modum creuiſſet, atq; ſæuus extitiſſet. quæ aeris corruptio Romanis peſtem importauit. eadem piſcium cadauera mare eijcit, cùm loca ardẽtia, quę ſub eo ſunt, terrę motibus quaſſata exhalationes peſtilẽtes, aut flammas, ipſos interimentes euomunt. quod etiã in Auerno lacu Roberti regis Siciliæ temporibus uſuueniſſe, atq; piſces omnes, quos mortuos eiecit, nigros fuiſſe, & ſulfureum odorem reddidiſſe literis proditum eſt. multos autẽ piſces mare ſtatim morituros in ſicco relinquit, cùm uoragines, item terræ motibus factæ, undas ſorbẽt: aut cùm magnos ex alto egreſſos fluctus deſtituit. quomodo noſtra memoria nõ longe à Grauiſcis balena in littore Thuſco putrefacta teterrimo odore tam ualide aerem corrupit, ut in eius accolas peſtilẽtia ingrueret. quinetiam in calidis regionibus piſcium & reliquarum fluuiatilium beſtiarum cadauera, quæ amnibus decreſcentibus remãſerunt

runt in limoſis campis, putreſcunt. ut cũ quondam Nilus ſuo more creſcẽs in planiciem excurriſſet, eamq; diutius, quàm ſoleret, inundaſſet, plures animãtes ex ea cum terra permiſta iſtius cæli calorẽ procreaſſe memoriæ proditum eſt. quæ, poſtea quàm decreſcens ipſas deſtituiſſet in limo, mortuę ſunt, earumq; cadauera putrefacta aerem ſua putredine infecerunt, unde peſtis repente Aegypto exorta, ut etiam Germanię anno mileſimo centeſimo uiceſimo quinto ex piſcibus uerno tepore & æſtiuo calore putrefactis. eos uero maximum hiemis frigus, quo aquæ piſcinarum prorſus conglaciarunt, exanimauit. ſed idem frigus non paucos homines & beſtias gradientes, ſerpẽtes, uolucres interemit. Putreſcunt quoq; locuſtarum cadauera, cum innumerabilis earum uis regionum herbis, leguminibus, ſegetibus, fruticibus, arboribus longe lateq; uaſtatis tandem ob pabuli tenuitatẽ uel frigus nocturnũ aliam ue cauſam cõmoritur. id in Africa P. Plautio Hipſæo & M. Fuluio Flacco Coss. accidit: quod plures ſcriptores literis mandarunt. etenim

nim maxima earum uis, cùm arborum ètiam cortices conſumpſiſſet, uiolẽto uentorum turbine perculſa depellitur ad mare. in quo ſubmerſa mox Africanis littoribus redditur. cuius acerui poſtquã cõputruiſſent, adeò magnæ peſtis cauſa fuerunt, ut in Numidia octingenta milia hominum letho perierũt: in maritimis prope Carthaginem & Vticam oris ducẽta: Vticę iuniorum militũ uiginti. idem anno ſalutis humanæ milleſimo quadringẽteſimo ſeptuageſimo octauo contigit Gallię, quam Itali Ciſalpinã nominant. atque peſtis inde orta Italiam ferè totã afflixit. attamen hominibus magis pernicioſæ ſunt expirationes quas hominum corpora putrida exhalant, quàm quas aliarũ animantium: ut etiam bubus boũ, equis equorum. Sed humores inſidentium lacuum & ſtagnorum & paludũ, quòd effluuio careãt, æſtiuo tempore ſolis ardore incaleſcentes ſtando putreſcere ſolẽt. ut Pontinarum paludum & lacus Salapini. tales autem peſtilentiæ locorũ quodãmodo propriæ ſunt, quales in Aethiopia fuiſſe multas à Platone ſcriptum Euſebius

ſebius Cæſarienſis autor eſt. eas uero infecti locis alijs importāt. At humor ſubterraneus, cum diutius in fibris, uenis, cauernis ſtat concluſus, nunquam non interiore terræ calore putreſcit, & halitus peſtilentes expirat. quomodo ueriſimile eſt & ſolum Sardinię multis peſtilens eſſe, maximè uerò peregrinis atq; aduenis: & Britaniæ gignere peſtem, quam ſudorem Anglicum nominamus, quæ peſtilentiæ quoq; locorum proprię ſunt. terrę etiam uiſcera putredine uitiātur, cum in ſubterraneis lacubus piſces & alię beſtię cõputruerunt. has enim in maritimis locis è mari longius interdum penetrare in terræ receſſus declarauit fons qui terræmotu emergens magnam copiam oſtrearum & marinorũ piſcium effudit. qui receſſus, ſi quando fuerint obſtructi, beſtiæ intereunt & putreſcunt. quam putredinẽ terra motibus concuſſa exhalat, & peſtilentiam excitat. quoniam uerò Pandorã, quã ficta fabula Heſiodus poeta, & Sappho poetria memoriæ mandarunt, Ariſtophanes terrã eſſe putat, pyxis, ex qua, ut perhibent, morbi difficiles eruperũt,

ex iſtiuſmodi aliqua peſtilente & publica calamitate originem traxiſſe uideri poteſt: atq; inde Horatius, partim Græcos, partim populi Romani annales imitatus, ceciniſſe:

macies & noua febrium
Terris incubuit cohors.

Nam peſtilētia, quæ Q. Seruilio Hala, & L. Genutio COSS. in Romanos inuaſit, multos biennio tabe confecit. quibus uerò uitam non abſtulit, macie ſic torridos, ut oſſa & pellis ferè toti eſſent, ſuperſtites reliquit. Sed Charoneæ ſcrobes ſimiliter terræ motibus conquaſſatæ interdũ plures, quàm conſueuerũt, ſpiritus putridos & mortiferos effundunt.

tali ſpiramine Neſis
Emittit ſtygiũ nebuloſis aera ſaxis,
Antraq; lethiferi rabiem Typhonis anhelãt.

Atq; hæ etiam peſtilentiæ locorum propriæ ſunt. aliàs Charoneæ ſcrobes aerem peſtilentem non faciunt, ſed his animantibus, quę tales ſpiritus, propius ad ſpiracula accedentes, hauriunt, tantummodo lethales ſunt. quam rem quarto libro De natura eorum, quæ effluunt ex terra, planius

nius explicaui. Ex his aũt omnibus illud perſpicuum eſt, elementa duo miſta, terram ſcilicet atq; aquam, & in eis genita, cum calor nõ naturalis accedit, putreſcere, ac putredinẽ cum aere cõmunicare, ſolumq; ignem eius eſſe prorſus expertem. Venti uerò ſpirãtes interdum aerẽ, quocũq; modo peſtilentẽ factum, à regione, in qua primo natus fuit, in alias regiones perferũt. ut quondam auſter ab Ægypto in Atticam primo regionẽ: dein ſubſolanus ab hac in Illyriam: tum rurſus ab hac in Venetias, ex quibus intelligimus, uerum non eſſe quod ſcripſit Plinius in hac re obſeruatum eſſe, à meridianis partibus ad occaſum ſolis peſtilentiam ſemper ire. nam auſter cum ab Ægypto, quę eſt in meridie ſita, flaret, in Attica, quæ, ſi eius ſedes cum illius ſitu comparatur, in ſeptentrionibus poſita eſt, peſtilentiam excitauit. quam ſubſolanus pertulit in Illyriam & Venetias, atque ſic ad occaſum. ex qua re ſatis perſpicuum eſt, cęteros uentos æquè ac auſtrum peſtilentiam excitare poſſe. uerùm in nobili illa peſte, quam hiſtorici & poetę perſequuti

ſunt, auſter, alioqui corporibus pręcipuè nociuus, eminuit. Sed crebrius peſtis, una aliqua regione ortæ, contagio per incautos peregrinos atq; aduenas longè lateq; ſerpēs per plures regiones, quarum aer non eſt peſtilens, uulgatur. ſicuti nūc uidemus eueniſſe. nam proximis ſuperioribus annis peſtis primum Rutenos adorta eſt. deinde in Liuones inuaſit, poſtea progreſſa Liteuanos & Boruſſos afflixit. mox in Pomeranos & Sarmatas graſſata eſt. tum Saxonum nationibus perniciem attulit. poſtea Hermunduris, quos Miſenos uocamus, & Toringis exitio fuit: nunc accolæ Rheni ea conflictantur. ut autem hęc in ſeptentrionibus orta primo proceſſit in occaſum, deinde in meridiem, ita anno milleſimo trecenteſimo quadrageſimo nono in Aſia, quæ eſt ad ortū, nata triennij ſpacio per intermedias regiones penetrans ad occaſum progreſſa eſt uſq; ad Anglos Britaniã incolentes, paululū ad ſeptentriones deflectēs. Verū peſtilentē aerem dicimus expirationibus putridis contaminatū. quas Galenus modo item uocat exhalationes

 pu-

putridas,quod reuera tales ſint, eíſq; ae-
rem inquinatũ eſſe dicit: modò putridã
qualitatẽ,qua ſimiliter aer contaminatus
ſit: modò putredinem,modò peſtis ſemi
na,quod ex ipſis hæc oriatur,eaq; in aere
uerſari ait: nũc uerò calorem putridum,
quod exhalationes calidæ exiſtant. quin
iſta putredo calida uenenũ calidum po-
teſt dici, quod non aliter ac alia quædam
uenena calida calfaciat,putrefaciat,inte-
rimat.externa igitur illa putredo eſt effe-
ctrix huius peſtis. eius enim calor putri-
dus,ſpiritu in pulmonẽ ductus,& ex eo à
corde,cum diſtenditur,attractus,ſi totus
fertur in cordis corpus, id accendit & pe
ſtilentem febrim gignit,quam Grçci ἑκτι-
κὴν uocant. ea Latinum nomen nõ inue-
nit,nos poſthac ipſam febrim ad habitũ
perductam nominabimus: alijs per me li
cebit uel Græco nomine uti, uel aliud ei
Latinum nomen imponere. ſin ad humo
res deflectit,qui ſunt in cordis uentricu-
lis,in quos per uenam cauã influunt, eos
putrefacit & accendit,atq; peſtilentem fe
brim putridam facit. utraq; homines gra
uius & uehementius afflictantur: ſed illa

tandem omnibus, hæc plurimis necẽ afſert. quoniã uerò talis febris ad habitum perducta interdum primo die interimit, recentiores medici eam ex ſua ui ſuaq́ natura nõ ſatis conſiderãtes, & de ſententia ueterũ ſine ulla ratione decedentes, uno die febrim, ſiue diariã, ut ipſi reddũt ἐφήμερον, eſſe putãt & nominãt. ſed quo modo aliud quodq́ uenenũ, ſiue etiam ſpiritu in pulmonẽ ductum, ſiue per nares ad cerebrũ ſublatũ, ſiue in corpus, quod morſum uel ictum ſit, inſertũ, ſiue comeſum, ſiue epotũ, ſubito uita priuet, aliàs dicã: nunc primi generis peſtem, ut inſtitui, perſequar. quæ ut his, qui ea laborant, ex putridis exhalationibus, ſpiritu in pulmonem ductis, orta eſt: ita iidem halitum putridum reſpirant, quo proximus aer etiam purus cõtaminatur. quem cum hauſerint aſtantes uel aſſidentes curanteſq́, eadem ui morbi replentur. quo modo unus homo plures cõtagione ac peſtifero odore conficit, ſicut una ouis peſte infecta reliquum inquinat gregem. nec uerò peſtilentia correpti halitum putridũ per aſperam modò arteriam reſpirant, ſed etiam

tiam per inuiſibilia cutis foramina.quem potiſſimum ueſtes & lintea & culcitrę & ſtragula & puluini corripiũt.quibus eos, qui pòſt utuntur,peſtis cõtagione imbui & uexari, uulgus imperitũ quotidie cum maximo uitę periculo experitur.etenim, ubi incaluerunt,halitum,quem ueſtes & cæteræ res continent, per inuiſibilia cutis foramina trahentes recipiunt: quanquã eum etiam partim aſpera arteria hau rire poſſunt. quæ cum reſpub. florentes prudenter prouideant,omnem id genus ſupellectilem,preciũ eius hæredibus per ſoluentes,comburunt: cum minus opulentæ,curant ut prius diligenter lauetur, quàm denuo in uſu uerſetur. Itaq; huius primi generis peſtilentia eſt lues febrilis peracuta,grauiſſimis morbis & ſymptomatis maximè infeſta: ualde contagioſa: uno eodemq; tempore pernicioſa plurimis hominibus: orta ab aeris,exhalationib.infecti, putredine crebrius ſpiritu in pulmonẽ ducta,rarius per inuiſibilia cutis foramina in corpus tracta. quæ extranea putredo ſi cordis corpus putrefacit, febrim,ut dixi,ad habitũ perductã creat:

ſi humores qui ſunt in eius uentriculis, putridam. quæ utrum ſit cõtinens, ita red dimus σύνοχον, an cõtinua, ita συνεχῆ, cum ex urinis, excrementis, uniuerſo corporis habitu, eiuſdem temperie, calore, pulſu, aliiſq́; tum ex acceſſionibus poteſt intelligi. nam illa poſtquam ſemel acceſſit, cõtinenter inhæret, donec calor prorſus remittat: hæ quanquam aliquantum de calore diminuunt, tamen quædam reliquiæ remanẽt uſq; dum altera acceſſio fiat. deinde ſi continua eſt, utrum tertiana ſit, an quotidiana, an quartana, ex interuallo, quod inter acceſſiones eſt, percipitur. ſed iſtius generis peſtilens febris putrida ſæpius eſt continens uel ardens, ſic autem tertiana continua nominatur: rarius quotidiana uel quartana cõtinua. Verùm morbi, qui cum hac peſte ſolent coniungi, ſunt uel inflammationes, plerunque glandularum, quod propter imbecillitatem humorum fluxionibus imprimis ſunt obnoxiæ: uel carbunculi item è corpore erumpẽtes: perrarò phrenitis aliá ue inflammatio interior, in faucibus aut uiſceribus recondita, uel carbun-

bunculus ſimiliter abditus. etenim cum externa putredo cordis humores putrefacit, id ueneno uexatum ipſos per uenas exonerat uel in glãdulas quæ ſub alis ſunt, uel in cerebrum, uel in iecur. atq; cerebrum quidem ſatis uirium habens ſuſceptum uirus deponit in glandulis, quæ ſub auribus ſunt, aut in ipſis ceruicibus poſitæ: carens uiribus eos expellere non poteſt: oriturq; in ipſo uel eius membranis phrenitis. quæ inflammatio ſi primas cerebri partes occupauit, mens ſtatim uanas imagines accipit: ſi mediam, eadem recte neq; res cogitatione complectitur, neq; ratiocinatur: ſi poſtremam, eandem multarum rerum obliuio capit. iecur uero ualidum ipſos depellit ad inguinum glandulas, in imbecillo naſcitur inflammatio. at carbunculus fit cũ in omnibus corporis partibus, tum maxime in pectore, puſtula nigra uel liuida uel pallida eminet rubore cincta. quæ cum ſaniem in ſe cõtinere uideatur, ſubtus eſt nigra. inflammatio minus ſæpe oritur pura: nam uel rubor pallore miſtus eſt, qui ſignificat bilem flauã ſanguini eſſe admiſtam:

uel nigrore, qui melancholicum humorem: uel albore, qui pituitā: quinetiā carbunculus, atræ bilis uetus, interdū in inflammationis medio naſcitur, ut duo ſint diuerſi tumores, uerum iſtius generis febris peſtilens ad habitum perducta, nullos facit tumores: nec ullas putrida, cum æger tantas uires non habet ut putridum uenenum poſſit expellere. Symptomata autem ſunt dolor capitis, & tumorum, uigilia, dementia, cordis angor, interior pectoris ardor, cibi faſtidium, nauſea, uomitus, ſingultus, animi defectio, tenſio præcordiorum, ſitis, ardor gutturis, linguæ ſcabrities & nigrities, animæ graueolentia, crebræ deiectiones, ſanguinis è naribus profuſio, quæ ſymptomata & ſi febres etiam non peſtilentes conſequuntur, tamen tunc minus plerunque grauia ſunt, & raro tanta eorum uis in ipſis coaceruatur, quanta in peſtilentibus ſolet coaceruari. capitis quidem dolorem cōmouent peſtilentes, & febriles uapores ad caput ſublati: ſed maiorem dolorem inflāmatio tam interior quàm exterior, maximum carbūculis, ijdem uapores ui-

giliam

giliam & dementiam cōcitant: at cor angore conficit peſtilens putredo, qua uel eius corpus infectū eſt uel humores qui ſunt in ipſius uentriculis, eiuſdē putredinis ardor interiores pectoris partes urit, ſed cibi faſtidium creat uel calor febrilis, uel humor putridus in uentriculum infuſus, etenim uterq; eius temperiem immutat. hic præterea, uel uapor, quem eius putredo expirat, quaſi morſu quodam efficit dolorem, nauſeam, uomitum, ſingultum, animi defectionem, at tenſionē pręcordiorum gignunt humores in uiſceribus ſubiectis retēti: eamq; difficultas ſpirandi conſequitur, uerùm calor febrilis, ut etiam uapor, quem interior putredo expirat, os inficiens ſitū facit: ijdem gutturis ardorem & linguæ ſcabritiem atq; nigritiem pariunt, animæ uero graueolentiam item interior putredo, ſed crebras deiectiones putridi humores in inteſtina defluentes concitant: ſanguinis è naribus profuſionem, aut eius tenuitas, quam febris calor procreat, aut bilis. Hactenus de primo peſtis genere: nunc dicam de cauſis euidentibus alterius, quæ

ex

diuturna aeris intemperie oritur:ea tunc fit,cum aer anno ferè toto fuerit propter pluuias & nebulas humidus, hieme maximam partem non frigidus, uere,ut ſolet,tepidus,æſtate calidus: atq; uẽti propemodum nulli ſpirauerint præter auſtrum:& ille quidem tã leniter,ut eius appulſus non ſentiamus, interdum ipſum nubes ex meridie in ſeptentriones pellere uideamus, qualem annum Hippocrates auſtrinum, pluuium, à uentis perpetuo ſilentem eſſe dicit, talis autem cœli ſtatus omnium grauiſſimus eſt & peſtilentiſſimus: quippe qui ſua humiditate corporis humores, quos cuiuſq; natura uel uictus ratio gignit, auget, atq; calori non naturali copioſiorem materiam ſuppeditat:ſuo calore extraneo & non naturali humores putrefacit & incendit: ſua tranquillitate putredinem amplificat, ab hoc ſtatu quò alius quiſq; non naturalis longius receſſerit, eò minus eſt grauis & peſtilens,quin plures non peſtem, ſed alios morbos populares gignunt: ut in libro De aeris ſtatibus planius explicabo. annus autem ſit pluuius, atq; ita ſtatus

aeſis humidus, cum terra interius humida proprio calore, exterius aquis pluuijs aut inundationibus fluminum uel maris madida: alieno ſolis, concalefacta perpetuo multos halitus, hoc eſt exhalationes calidas & humidas expirat, à uentis uero ſilens, auſtrinus tamen, cum nuſquam uapores, id eſt exhalationes calidas & ſiccas, pręterquã in meridie paucos: etenim quia uenti halitus per aerem non diſpergunt, ſtatus cœli fit, Plautino uerbo utar, imbricus & pluuius: uel, ſi non pluit, nubilus: quia nebulas ijdem uenti non diſſipãt, nebuloſus manet ac caliginoſus: hęc aeris intemperies, caliditatem & humiditatem etiam temperamenti adaugens, humores in corporibus humanis ingignit: quos mox putrefaciens febrim putridam creat: quæ iccirco peſtilens dicitur, quod cũ uno eodemq́ tempore plurimos uehemẽter affligat, multis necem afferat: qualem luem peſtiferam Hippocrates in tertio libro De morbis popularibus deſcribit: iſtiuſmodi peſtilẽtia Germani conflictati ſunt anno octingenteſimo primo: & iterum poſt annos uiginti: atq́

atq; etiam mileſimo nonageſimo octauo: Itali uiceſimo ſeptimo ſupra milleſimum quingenteſimum: ter Hermunduri intra ſeptem & uiginti annos. Itaque huius ſecundi generis peſtilentia eſt lues febrilis, grauibus morbis & ſymptomatis infeſta, etiam contagioſa, etſi minus quàm peſtilentia primi generis, annuo temporis ſpacio pernicioſa multis hominibus: orta ab interiore humorum putredine, quam diuturna aeris intemperies calida & humida corporis humores putrefaciens peperit, ea uero peſtis multis modis uariat: nam ſi flaua bilis putrefacta defertur in iecur uel uentriculum, ardētem febrim excitat: ſi ſanguine calefacto bilioſus humor fertur in caput, phrenitidem gignit: ſi defluit in loca, quæ ſunt ad fauces, tubercula: ſi in linguam, inflammationem: ſi in gingiuas, abſceſſus: quanquam hi etiam ex pituita fiũt, & ex eadem cum bile permiſta: ſin ex corpore erumpit, eryſipelas cum inflammatione, uel ſacrum ignem: & quidem utrunq; tumorem cum febri uel antè uel pòſt eã, ſed atra bilis, quæ ex ſanguine iam adu-
ſto

ſto naſcitur, putrefacta ſi erumpit, carbuuculum gignit: uerum pituita putrefacta, ſi è capite deſtillat in pulmonem, ingignit tabem: ſi in os, aphthas: ſi in oculos, lippitudines: ſi in palpebras, eas ficorum inſtar facit turgidas, unde tumor nomen trahit: ſin in cutem, puſtulas magnas, quæ ſe tollunt à cute altius, creat: atq; etiam humiles: quales utræq; alia de cauſa maxime eueniunt in ætate puerili: hæq; tenuioris humoris, ille craſſioris fœtus ſunt: oritur præterea die plerũq; quarto uel ſeptimo in brachijs, femoribus pectore, dorſo. tertiũ puſtularũ genus uaris ſimile: quanquã ipſæ quoq; morbos uulgares inſequũtur, non tantum has peſtilentes febres, eas puſtulas alij propterea morſiunculas appellant, quòd pulicum, uel, ut Hippocrates, culicum morſibus aſſimiles ſint: alij lenticulas, quod, ut lenticulæ, plerunque rubeant: alij uariculas, quod, ut uari, ſint humiles: has quia ſanguis putridus & calefactus gignit, rubræ ſunt: quia tenuis, humiles: quia cutis laxa eſt, multæ: quia denſa, paucæ: quia uis expellendi putredine debilitata,

bilítata, ſub cute latentes uix apparent: quæ uero iſtius generis febris peſtilens nullas puſtulas aut alios tumores facit, plerunq; grauior eſt: horũ autem ægrotorum complures alui morbis urgentur: inteſtinorũ uidelicet leuitate, eorundem exulceratione, inteſtini recti dolore, itẽ ex ulcere nato: atq; hæc quidẽ inteſtinorum leuitas oritur ex uentriculi uirium, quæ cibos cõtinent, imbecillitate, quam peſtilens humor, in interius uẽtriculi tergus infartus parit: at eadẽ inteſtina acris & mordax humor bilioſus, qui putridus ex uiſceribus & uaſis confluit in aluum, corrodit & exulcerat: idem humor ſiue flaua bilis, ſiue atra fuerit, inteſtini recti dolorem facit: crebrius tamen in hoc peſtilente cœli ſtatu pituita ſalſa: atq; etiam in eodem non aliæ modò febres cõtinuæ oriuntur, ſed continentes quoq;, & cuiuſq; generis intermittentes: quotidianæ ſcilicet, tertianæ, quartanæ. Quod uero ad ſymptomata pertinet, qui hac ardente febri laborant, initio ſoporantur, quod talis cœli ſtatus caput humore pituitoſo repleuerit: angoribus cõficiuntur, quod

praui humores os uentriculi mordeant: horroribus perfunduntur, quod excrementa acria per acceſſiones cutem inæqualiter turbent & concutiant: non ualde ſitiunt, quod humor pituitoſus ex capite deſtillet in gulã: uox uitiatur, quod idem humor defluat in guttur: non eſuriunt, quod idem deſtillet in uentriculum, & uim cibi appetentem debilitet: non multum delirant, quod idem partim in capite maneat cum bile permixtus: attamen qui eo carent propter bilem uigilijs cum dolore uexantur: hæc autem febris, ut ardens ſit, rarius acuta eſt, quod iſtius modi cœli ſtatus in corpore ingignat multum humorem ſero ſimilem: acceſſiones autem plerũq; paribus diebus fiunt, & ſub eas eadem de cauſa obliuioſi euadunt, & uox ſupprimitur, omniaq; membra ipſis non aliter ac reſolutis uidentur proiecta: extremi præterea pedes & manus frigidiores fiunt: & quidem tarde, nec tamen probe recaleſcũt: ueruntamen reminiſcendo recognoſcũt & loquuntur. uaſa uero quia humorem ſero ſimilem uel eius multitudine one-

rata, uel mordacitate irritata ſuſtinere nequeunt, ipſam propellunt aut in aluum, quo modo multa, quæ cruda & tenuia ſunt, excernunt: aut in ueſicam, quomodo urinas multas & tenues reddunt: aut in cutem, quomodo ſudant. Nõ diſſimilia phreniticis accidũt, quod etiam ipſi ardente febri laborent: ſed hi prorſus non ſitiunt, non tam quod pituita redundet in ore uentriculi, quàm quod & gulæ uis appetens intermortua ſit, & quæ patiantur non intelligant, quanquam enim non inſaniunt, quod humor ſero ſimilis cum bile flaua ſit permiſtus, tamen mens eis turbata eſt. De peſte etiam ſecundi generis ſatis: nunc accedo ad tertij generis peſtem: quæ oritur, ut dixi, ex corporis ſuccis ad putreſcendum aptis, cum exigua quædam occaſio eis ab aere, qui nobis offunditur, oblata fuerit: ſucci autem corporis ad putreſcendum apti & peſtilentes gignuntur ex mali ſucci cibis, & ijs qui ueneni participes ſunt, cum eos populus ſumma, uel frugum inopia uel annonę caritatę coactus edit,

fame

ſame enim quibuſcunque anni tempo-
ribus dominante comedit triticum, a-
doreum, hordeum, olyram, ſecale, a-
liud'ue frumenti genus quod uel cœli
intemperies, anteaquam ad maturita-
tem deueniret, rubigine uitiauit, uel pra
ua condendi ratio mucore repleuit, uel
longinquitas temporis, quo reconditum
fuit, in putridam affectionem commu-
tauit, quali peſtilentia, & quidem gra-
ui, Maſſilienſes conflictati ſunt cum, ut
Cæſar ſcribit, rei frumentariæ ad ſum-
mam inopiam adducti panico uetere at-
que hordeo corrupto omnes alerentur:
cum autem populus tale frumentum hy-
berno tempore conſumpſit, uerno come
dit germina arborum & fruticum, radi-
ces ſtirpium, agreſtia olera qualiacunque
ſint, etiã herbas uirides, quas nemo un-
quam ne primoribus quidẽ labris uel ex
periundi gratia guſtare ſolitus fuit: quod
non fugit Lucanum ſic de Cęſaris militi-
bus, qui famem ſuam hiſce rebus exple-
uerunt, ſcribentem:

Sed patitur ſæuam ueluti circundatus
arcta

Obſidione famem : nondum ſurgentibus altam
In ſegetem culmis, cernit miſerabile uulgus
In pecudum cecidiſſe cibos, & carpere dumos,
Et folijs ſpoliare nemus, lethūq; minātes
Vellere ab ignotis dubias radicibus herbas.
Quæ mollire queunt flamma, quæ frangere morſu,
Quæq; per abraſas utero demittere fauces
Plurimaq; humanis ante hoc incognita menſis
Diripiens miles.

tales autem corporis ſucci tū putreſcunt & incenduntur, cum calor naturalis auctus in extraneum mutatur, quod cur accidat ſolus aer promiſcue & cōmuniter in cauſa eſt: ſiue ſtatim uere frigidus inuiſibilia cutis foramina, per quæ corpus quotidie excrementa quædam exhalat, & aerem, calorem innatū refrigerantem trahit, anguſtauerit: ſiue æſtate calidus ſpiritu per aſperam arteriam in pulmonem, & inſputatione per minutula iſta foramina in corpus totum ductus cor calefecerit: quod, ubi febrilem calorem concepit,

cepit, ipſum cum ſpiritu præ arterias in uniuerſum corpus diffundens, ſuccos ad putreſcendum ob iam dictã cauſam idoneos putrefacit: quomodo iterum gignitur febris putrida, quam etiam peſtilentem uocamus, quod uno tempore multos ex plurimis interficiat: qualis peſtilentia anno regni Herodis decimotertio in Iudæos inuaſit: Commodi principatu in multas nationes, in quas Romani dominabantur: Martiani in has orientis Phrygiam, Galatiam, Cappadociã, Ciliciam, Palæſtinam: Henrici quarti imperatoris in Francos & cæteros Germanos ab impijs Sarracenis Antiochiæ obſeſſis: Andreæ regis Vngariorum, qui dux exercitus fuit, contra in Sarracenos à Chriſtianis Damiatæ obſeſſos: nec mirum eſt hominibus peſtilentiam ex mali ſucci cibis oriri, cum, ut rei ruſticæ ſcriptores tradunt, id, quod egerit ſus morbida, pabulo immiſtum bubus, qui ipſum capiunt, peſtilentiam facere poſſit: cumq; ut unus ex Arabicis ſcriptoribus memoriæ prodidit, hi qui fame urgente uentula cadauerum oſſa fregerunt, & eorum medul-

lam comederũt,ſubito mortui ſint: quinetiam ſucci ad putreſcendum apti & peſtilentes gignuntur ex aquis corruptis & putridis: quales ſunt limoſæ, cœnoſæ, cloacales, paluſtres, lacuſtres, cum plurimi propter ſalubrium inopiam eas biberint. Itaque huius tertij generis peſtilentia eſt lues febrilis modo peracuta, modo longa: item grauibus morbis & ſymptomatis infeſta: etiam contagioſa, etſi minus quàm primi generis peſtis uerno tempore multis hominibus pernicioſa: ſimiliter orta ab interiore humorum putredine, quam cibus malus aut potio corrupta effecit: ex iſtius modi autem putridis corporis humoribus uarios & multiplices plerunque creat morbos: etenim multas febres uehementes & prauas: alicuius uiſceris inflãmationem: extrinſecus ulcera, quibus uis & natura eſt carbunculi uel phagedęnæ cũ febri coniunctæ: cutis ulcera, quæ ſimilitudinẽ gerunt ſpeciẽq; inflãmationis, aut eryſipelatis, aut ſacri ignis, aut impetiginis, aut ſcabiei, aut læpræ. Sed id genus peſtis anno ſalutis 455. in oriente cũ Martianus imperator

peratorregnaret,ſęuior quàm unquã uſpiam extitit:etenim uehemẽs inflãmatio primis duob.diebus homines oculis priuàuit: tertio tuſſis eos conquaſſauit: quo die oẽs conflictati hac peſte mortui ſunt: uerũ ſymptoma, quod hãc febrẽ peſtilentem pręcipue conſequitur,dementia eſt: modo cũ uigilia,modo cũ ſopore,pro humoris uarietate,cõiuncta.Ex his aũt omnibus perſpicuũ eſt peſtẽ ob eãdem cauſam nõ fieri,ſed eius initiũ aliàs aerem peſtilentẽ afferre,aliàs diuturnã aeris intemperiẽ,aliàs cibos & potiones,quę gignũt ſuccos corporis ad putreſcẽdum aptos. Quapropter in eundẽ annũ incidere poteſt peſtis ex aere peſtilẽte & ex diuturna aeris intẽperie nata:in eũdẽ ex aere peſtilẽte & ex pernicioſis ſuccis orta:in eũdẽ ex diuturna aeris intẽperie & ex ſuccis ad putreſcendũ aptis procreata:in eũdẽ deniq; peſtis incurrere poteſt,& ſi rarius,ex his tribus cõiũctis genita. Quoniã uero aer peſtilẽs efficitur ex putredine, quã res non eædem expirãt, quibus notis alia ab alia ſecerni & internoſci poſſit,nũc dicã:atq; etiã quibus cæli intẽperies ab aere peſtilente:

lente: itaq; cũ aer, ut dixi, peſtilens fiat uel ex putridis exhalationibus, uel ex mortiferis ſpiritibus, item putridis, ſi nullæ Charoneæ ſcrobes fuerint in regione, in cuius habitatores peſtis inuaſit, aer peſtilẽs ortus eſt ex putridis exhalationibus, quas expirarunt uel cadauera hominum aliarúmue animantium: uel cœnoſi quidam & inſidẽtes lacus, aut ſtagna, aut paludes: uel humores aut animantes mortuæ, quas uiſcera terrę in ſe cõtinent, ſi cadauera hominũ aliarú mue animantium putredinẽ exhalãt, res euidens eſt: iacent enim inſepulta, & teterrimum fœtorem nemo ferre poteſt: ſi cœnoſi & inſidentes lacus uel ſtagna uel paludes, res non minus aperta & manifeſta eſt, & quod nullo humoris effluuio ſe exonerent, & quod multæ beſtiæ paluſtres ibi naſcantur: & quod potantibus aut graues morbos gignãt, aut interitũ afferant: & quod humores ſtando putrefacti male oleant, ſi nihil iſtorũ in regione, in cuius incolas peſtis graſſatur, apparuit, peſtilentes humores uel animantes exanimatæ, quæ latent in uiſceribus terræ, expirationes putridas,

putridas,quibus aer eſt inquinatus, exhalarunt. quarũ cauſa interdum eſt euidẽs; ut cum terra motibus conquaſſata fuerit. quod accidit Germaniæ anno ſalutis ſexcenteſimo decimooctauo, & milleſimo trecẽteſimo ſexageſimo. eos enim, poſtquam multa oppida, ſed plures arces, ad Rhenum ſitas,labefactaſſent,ſtatim ſecuta eſt peſtis.ut etiam in Luſitania,cum anno milleſimo quingenteſimo triceſimo primo, Olyſſipone plus quàm mille ædes euertiſſent, & terrã ſic perfregiſſent, ut pluribus rimis fathiſceret. interdũ uerò cauſa in uulgus eſt abdita, rerum naturæ peritis tantum nota,occultum ſcilicet incendium, quod terram alicubi rariorẽ facit. ſed ut uulgus cauſam ignoret, effectus uidet. etenim ſi terræ uiſcera putredinem per terram aeri expoſitam exhalauerunt, animantes ſubterraneæ, quas in libro de eis cõſcripto,percenſui, uim ueneni ſentientes de latibulis exire uel ſerpere,nec,etiamſi ſuperſtites fuerint,in ea reuerti ſolent: & gradientes beſtiæ feræ in ſyluis, cicures in nemoribus & paſcuis,uel domi,mortuæ concidere. quod nõ

ignorauit Homerus, canit enim:
Inuaſit primo mulos uiroſa ſagitta,
Atq; canes celeres.

ſed ipſe putauit Apollinem, quo nomine ſolem appellauit, eſſe cauſam peſtis, ut etiam Lindij putarunt, quos propterea cognomine λοιμώδη, hoc eſt peſtilentem coluiſſe ſcriptum legimus, ne peſtem in eos immitteret: immiſſam autem quia Athenienſes illũ depellere poſſe ſuperſtitioſe atq; aniliter crederent, ἀλεξίκακον nominarunt: quia Phigalenſes contra eandem auxiliari, ἐπικούριον. uerùm cur quadrupedes tunc prius peſte inficiantur quàm homines, duæ cauſæ ſunt: altera quod pronæ ſpectent terrã, atq; proptereà paſcentes ante noxias exhalationes ſpiritu ducant, quàm aer, quo fruuntur homines, ijſdem contaminetur: altera quod pleræque omnes depaſcãt herbas putridis exhalationibus tunc imbutas. ſi uerò terræ uiſcera putredinem expirauerunt per cauernas, quibus maria, lacus, ſtagna, paludes ſuſtinẽtur: uel per alueos fluminum: animantes quæ & in aqua & in terra uerſantur, ex illa egreſſæ in hac remanent: ce

teræ

terę aquatiles maxima ex parte intereũt. atq; his ſignis res, quæ putredinem exhalant, dijudicari & diſtingui poſſunt. ſin autẽ uolucres, quæ nidos in altiſſimis montibus conſtruunt, eos deſerunt, & in ualles aut campos confugiunt, ac primo aeris ueneno necãtur, ſigna ſunt ex quibus colligere poſſumus, uentum aerem peſtilentem, qui ſolem obſcurare ſolet de regione, in qua primo fuit ortus, in regionem, in qua aues examinatę deijciuntur, pertuliſſe. at ſi animantes nullæ moriuntur, nec ulla alia cauſa, quæ aerem mortiferum efficere poteſt, euidens eſt: nõ eſt dubium quin ſola contagio in cauſa ſit. etenim peſtis contagiones ſæpenumero à paucis peregrinis atque aduenis profectas uidemus latiſſimè manare, eisq; plurimos homines tam in agris quàm in urbibus cõtaminari. quomodo tandem etiam aer eorũ oppidorum infici ſolet quę uentis non expurgantur, uel quod nulli ſpirẽt, uel ſi ſpirauerint, quod uicos perflare nõ poſſint. atq; hæ res ut cauſæ ſunt peſtis effectrices, ita ſigna quoq; ſunt futuræ. Sed peſtifera cœli intemperies,

quæ eſt diuturnus aeris ſtatus calidus & humidus, ne uulgus quidē latere poteſt, quod mutationes quatuor anni temporum conſuetas non habeat. cum enim natura æſtas calida & ſicca eſſe ſoleat, hyēs frigida & humida, uer his quatuor qualitatibus temperatum, autumnus mane & ueſperi frigidus, meridie tantūmodo calidus, magis etiā ſiccus quàm humidus, ſtatus ille peſtifer longiſſimè ab hoc naturali recedit. etenim toto anni tempore humidus eſt, calidus autē ſi non ſemper, ſed aliquādo tepidus, certè raro aut nunquam frigidus. cum autem talis fuerit aeris ſtatus, cœlū hyeme, qua aliàs non conſueuit, tonitru cōtremit, fulgetrum emittit, fulmen iacit. idem aeris ſtatus tempore uerno, atq; etiam æſtiuo, creat multos mures, plures ranunculos temporarios, qui ſpeciem quandam, ut Ariſtoteles, rubetarum gerentes reptant in uijs & littoribus: plurimas ſpecie differētes muſcas, culices, papiliones, araneos, erucas, cimices, ricinos, bupreſtes, locuſtas, ſcarabeos, aliasq; animantes ex putredine natas. profecto enim quoties in aliqua regione

ne harum uis naſcitur, quæ naſci ſolita nõ fuit, uel maior, quàm conſueuit, peſtis in uitam hominum inuadit, aut aliqua alia lues in eorundem ualetudinem. autumnali uerò tẽpore cum iam ueſtes, lintea, culcitræ, panes, omnis generis obſonia, ſub dio, uel in conclauibus patentibus locata talem ſitu mucorem contraxerunt, qualis oritur in penore, in opacis domus cellis collocato, aut etiã in ipſis cellis diu non repurgatis, peſtis præſentes ad nocendum uires habet. eodem autumno in ſuprema regione nõ rarò cernũtur flammæ ardentes, ſtellæ diſcurrentes, torres, trabes, capræ, cometarum uariæ ſpecies. quæ omnes ita ſunt fœtus exhalationis ſiccæ, ut mucor in rebus, de quibus dixi, natus humidæ. nam fieri nullo modo poteſt ut terra concalefacta cum exhalationes multas humidas expirat, non item aliquas ſiccas ſimul expiret. Verùm peſtem ex humoribus putreſcentibus, qui gignũtur ex ſucci mali cibis, aut ex aquis corruptis & putridis, coortam antecedit aut fames, quæ uel autumno & hyeme plebem necat, uel uere & æſtate id ge-

nus

nus peſtilentiam creat: aut aquarum ſalubrium inopia, quæ plurimos iſtas inſalubres bibere cogit. his quidem notis tria peſtis genera diſtinguuntur: quibus generibus omnibus cōmune eſt, plurimos homines propter communem cauſam, quæ tamen ſua cuiq; generi eſt, uno tempore affligere, inq; ea re potiſſimum à reliquis febribus tam continentibus quàm continuis non peſtilentibus differre: humores in altiore putredinis gradu, quàm aliæ febres non peſtilentes poſſint, collocare: aſtantes uel aſſidentes contagione, quæ indiciũ eſt maioris putredinis, contaminare: plurimos aut certe multos interimere. Sed primi generis proprium eſt in multos annos durare. nam alia tribus annis Romæ durauit, de qua ſcribit Valerius Maximus: alia quatuor, ut quæ etiam nunc ſæuit: alia quindecim, de qua Philoſtratus ſcriptum reliquit: alia duos & quinquaginta, de qua Nicephorus Calliſtus. ſecundi uerò generis proprium eſt in annum durare: tertij in uer & æſtatem. quomodo multum inter ſe differunt. primum etiam differt à ſecundo, quod illud

oria-

oriatur ab aere cuius ſubſtantia eſt putridis exhalationibus inquinata, hoc ab eo cuius qualitas eſt tantũ immutata: quod illud omnibus anni temporibus pleroſq; omnes, quos corripit, interimere ſoleat, hoc hyeme tantum eos, quos tabes male habet. primum præterea differt à reliquis duobus, primo febris ad habitum perductæ ortu: illud enim eam ſæpe, & quidem primo gignit, hæc duo perrarò, & nõ niſi ſecundo ut putridã conſequatur. deinde uiſcere, in quo humores putridi febrim putridam creantes conſiſtunt: etenim illud primo putrefacit eos, qui ſunt in cordis uentriculis, hæc duo ſæpius eos qui ſunt in alijs uiſceribus. tum tempore quo necat: nam illud ſemper eſt morbus acutus, & quidẽ adeo, ut aliquos primo uel ſecundo die interimat, plures tertio uel quarto, plurimos quinto uel ſexto uel ſeptimo uel octauo, rariſſimũ quenq; proximis ſequẽtibus diebus. hæc autem duo genera, quanquam interdum aliquos etiam cito perimant, tamen plerunq; plurimos multo pluribus diebus affligunt priuſquam eis uitam adimant. ſed ſecun-

dum

dum longiore tempore quã tertium affli git:nam quoſdam ſecundo menſe, quoſdam etiam tertio necat; poſtremo primũ differt à reliquis duobus contagionis uehementia: illud enim citius contagione contaminat, & longius ab æg.otis ſtantes, atq; res quoque inanimatas, quales ſunt lintea, culcitræ, ſtragula, puluini, ueſtes, tigna: etſi enim ipſæ non putreſcunt, tamen putredinem contagioſam diu in ſe retinent. hæc uerò duo genera tardius contagione inquinant, & propius aſtantes uel aſſidentes, nec facilè ullas res animatas. at primum & ſecundum differunt à tertio, quod illa omnibus anni temporibus in homines inuadant, hoc, ſi ipſum fames uni regioni uel pluribus cõmunis effecit, plerunq; uere & æſtate: ſin eadem fames, uel inopia potionis ſalubris, propria unius ſolius oppidi uel exercitus, etiam omnibus anni temporibus: quod illa duo gignat aer, hoc ſucci mali cibus uel potio.

LIBRI PRIMI FINIS.

GEORGII AGRICOLAE DE PESTE LIber ſecundus.

PRIMO libro conſiderauimus quibus nominibus appelletur peſtilentia; qualis ſit morbus, quibus de cauſis oriri ſoleat, quàm his ipſis uaria & multiplex ſit, quibus notis cauſarū alia ab alia ſecerni poſſit, quid uniuerſis eius luis generibus ſit cōmune, quid ſingulis proprium, quo ipſo unū ab alio differat: hoc Secundo libro cōſiderabimus eos quos potiſſimū aer peſtilens ſuo ueneno inficiat, quos peſtifer ſua intemperie lædat, qui pernicioſum ſuccum ex prauis cibis uel corruptis potionibus aſſumptis colligāt, quibus modis ab his malis nobis cauere poſſimus. Cum autē nulla cauſa efficiens ſua ui quicq̃ efficere poſſit, niſi res quæ feret, ad eam accipiēdam parata ſit: maximā peſtis orituræ partem corporū, quæ aeris uim accipient, habilitas ſibi uendicat. Illa enim ſi materiā ido-

neam nacta fuerit, eam multũ lædit: ſi nõ, parũ, aut nihil omnino. quocirca aer, ut putridis exhalationibus inquinatus ſit, nec omnes ſuo ueneno inficit: ut diutius calidus & humidus exiſtat, nec omnes ſua intẽperie offendit: nec omnibus infectis aut offenſis perniciẽ affert, cum omnes eodem fruãtur. quare qui cauſam cur ex pluribus, qui in eodẽ aere uerſantur, alij in peſtẽ incidant, alij, quod quotidie fieri uidemus, omni periculo uacẽt, in aliquã rem exteriorẽ referunt, multũ à uero aberrãt. Verũ cum peſtis efficiens cauſa fuerit aer peſtilẽs, hoc eſt putridis exhalationib. cõtaminatus, ad caloris iſtius putridi uim accipiendam modò cordis corpus aptius eſt, modò humores: illud quidẽ ſi incaleat aut incaluerit, humores uerò, qui in eius uentriculis cõtinentur, crudi frigidi pituitoſi fuerint. nondum putreſcẽtes. cõtrà humores ſunt aptiores, ſi ad putreſcendũ fuerint idonei, cordis uerò corpus nec incaleat nec incaluerit. incaleſcit uel à ſpiritib. cũ quis in febrim uno die incidit, uel ab humoribus cũ in putridã: incaluit cũ per ipſum totũ calor febri-

lis

120

lis permanauit, & febris ad habitũ perducenda fuit orta. cordis igiť corpus ad putredinẽ accipiendã aptius eſt q̃ humores cũ incaluit propter febrim uno die: cũ uerò propter putridã, minimè. nã ipſi tũ nõ modò ad putreſcendũ accõmodati ſunt, ſed iam putreſcũt. quare febrim putridã peſtilens putrida cõſequitur. quoniã aũt uno die febris naſcitur ex ardore ſolis, ex frigore, ex laſſitudine, ex uigilijs, ex ebrietate, ex glandularũ inflãmationibus, ex ira, ex furore, ex mœrore, ex timore alijsq́ue animi curis uehemẽtibus: & aliàs febris ad habitũ perducta nõ modò ex putrida, ſed etiã ex uno die febri, oriri ſolet, mirũ nõ eſt uno die febri tunc correptũ, cum peſtilentẽ aerẽ ſpiritu ducit, mox in peſtilentẽ febrim ad habitũ perductã incidere, nec poſſe alteram ab altera diſtingui cum breui & illa conuertatur, & hæc interficiat. nec etiam mirum uideri debet ſic peſtilentem ad habitũ perductam ex uno die febri oriri, cum non peſtilens ad habitũ perducta ex uehementiſſima ira & ex uigilijs, cum graui ſolicitudine coniunctis naſci poſſit: & homines ſi aliàs

unquam, hoc tempore timeant, & de uita, cuius in diſcrimē uocātur, ſoliciti ſint. At putridus aeris calor tūc humores putrefacit, & peſtilentē febrim putridā accendit, cū corpora uarijs excremētis, per ſe ad putreſcendū aptis, plena fuerint: cū ſanguis redundauerit: cum uiſcerū ora & uaſa ſic humoribus cōdenſatis obſtruuntur, ut illa humores ex ſe emittere, hęc eis per ſe dare uiā nequeant: cum cruditates fuerint, hoc eſt, cū cibus uel ſuccus fuerit cōuerſus & cōcoctus, ſed nō ſicut oportet. Quoniam uerò excrementorū uaria ſunt genera, ex eis quædā ad putreſcendū apta ſunt, quædā nō ſunt. bilis flaua & atra atq; pituita aptæ ſunt. ut aūt corpora redundent iſtis humoribus, in cauſa ſunt partim cibi & potiōes mali ſucci: partim crebræ cruditates: partim uiſcerum, quæ eos gignunt, intēperies. ipſorum aūt redundantiā Græci κακοχυμίαν nominānt, ut ſanguinis multitudinē πλῆθος, in quā incidunt corpora quādo id, quod expirāt, halitus ſimillimū & optimū fuerit, nec tamen ipſum propter inuiſibilia cutis foramina arctata & aſtricta exhalare queūt.

mul-

multitudo quidem ſanguinis,ut etiã ſucci lenti & craſſi condenſati, uiſcerũ uaſa & ora obſtruit.ſed cibi potionisq́ abundantia,atq́ intẽperantia rei uenereæ cruditates his faciunt,qui in otio uitã degũt. crudi autẽ humores ſi nõ poterũt concoqui & mutari in ſanguinẽ putreſcũt,ut etiam cæteri cum in calidis corporis locis diutius manſerint. Contrà quorũ corpora neq́ ſuccis uitioſis, neq́ ſanguine abundant,& quorũ ora atq́ uaſa uiſcerũ nõ obſtruũtur,ſuccos eorũ putridus aeris calor nõ putrefacit: ſicuti nec eorũ qui cibũ potionẽq́ modicè aſſumũt, rebus venereis moderatè utuntur, ritè ſe exercent. Quod aũt ad ætatẽ attinet,pueri & adoleſcẽtes & iuuenes potiſſimũ hac peſte inſici ſolẽt. pueri quidẽ, quod quia omnes ad unũ multũ cibũ multamq́ potionẽ nõ ordinatim adhibẽt, ſucci crudi quiddam colligãt.adoleſcẽtes uerò, quod pleriq́, quia deteriorẽ q́ pueri uictus rationẽ ſequũtur, multitudinẽ crudorũ ſuccorum gignãt.at iuuenes quod multis, quia prauè uiuũt, bilis flaua ſubeat, nõnullis ſuccus crudus.cæteri tam adoleſcẽtes quàm

iuuenes quod eis, quia recte uiuunt, co-
pioſus ſanguis naſcatur, ſi inuiſibilib. cu-
tis ſpiramentis anguſtatis occulto ſpiri-
tu non difflantur, in eam redundantiam,
quã Græci uocãt πληθώραν, incidunt. qua
de cauſa etiã eis facilè putrida febris peſti
lens ingruit. uiri autẽ & ſenes ſi optimam
uitæ rationẽ ſibi inſtituunt, minus quàm
cæteri peſtilentia conflictãtur: ſi nõ, neu-
tri à peſte ſunt tuti: quod utriq; ſuccũ cru
dum colligãt, illi præterea non raro atrũ,
hi melancholicum. Similiter uerò conta
gione peſtis in ea corpora inuadit quæ
prauis ſuccis uel ſanguine redundãt, uel
obſtructionibus laborant, uel in crudita
tes iam dictis de cauſis incidunt. corpori
bus autem puris, quæ cõtrario modo ſe
habent, nullam perniciem afferre poteſt.

At ſi diuturnus aeris ſtatus calidus &
humidus cauſa peſtis efficiens fuerit, is,
quod ad naturã hominum attinet, primo
maximè noxius eſt corporibus calidis &
humidis: quod cum ſimilia ſimilibus no-
ceant, hæc neutra qualitate ſtatui reſiſtãt,
deinde talis ſtatus aeris noxius eſt corpo
ribus calidis, ſed ſiccitate & humiditate

tempe-

temperatis atq; humidis, ſed calore & fri gore tẽperatis: quod utraq; altera qualita te ſtatui non aduerſentur, illa calore, hæc humiditate: altera nec aduerſa nec ſimilia ſint, atq; ob id minus q̃ calida & humida offendãtur. tũ idem ſtatus corpora calida & ſicca, atq; frigida & humida lædit: quod utraq; ſtatui altera qualitate repugnent, altera nõ aduerſentur. etenim illa ſiccitate eius humiditati reſiſtunt, calore eius calori nõ reſiſtunt: hæc uerò frigore ſtatus calori repugnant, humiditate eius humiditati nõ repugnant. ut enim ſimilia ſimilibus nocẽt, ita cõtraria cõtrarijs remedio ſunt. poſtea ſtatus iſte offendit corpora calore, frigore, humiditate, ſiccitate tẽperata. nam ut nulla qualitate ei ſimilia ſunt, ita nulla cõtraria. minus uerò lædit corpora ſicca, ſed calore & frigore temperata: atq; frigida, ſed humiditate & ſiccitate tẽperata. etenim utraq; altera qualitate ſtatui reſiſtunt, illa ſiccitate, hæc frigore: altera nec ſimilia nec cõtraria ſunt. poſtremo idem ſtatus tantũ abeſt ut frigidis & ſiccis corporib. obſit, ut eis multũ etiã proſit. nam ipſa ab exceſſu uindicãs

ad temperamentũ ducit. Quod uerò ad ætatẽ pertinet,hic ſtatus pueros &adoleſcentes maximè lædit, quod eis ſit calidũ & humidũ temperamentũ: uiros minus, quod,quia calidũ & ſiccũ,altera qualitate, nempe ſiccitate humiditati reſiſtant: ſenibus,quod eis temperamentũ frigidũ & ſiccũ exiſtat, remedio eſt. hinc Plinius ſcriptũ reliquit: ſenes minimè ſentire peſtilentiã.nam ſcriptores qui primi illã de ſenibus ſententiã tulerũt, hanc alterã peſtem,nõ primã, quæ etiam ſenibus affert necem,intellexerunt.quanquam Hippocrates eos,qui annos ſexaginta haberẽt,leui de cauſa eryſipelate peiore, cuius hęc ſecũda peſtis effectrix eſt,laboraſſe ſcribit. Calidum aũt & humidũ temperamentũ propter talem cœli ſtatũ ad intemperiẽ delapſum gignit humores, quos ſanguinẽ miſtum nominamus:calidum &ſiccũ, bilem flauam & atram:frigidum & humidum, pituitam, qui humores redundantes externo cœli calore putreſcunt,& peſtilentẽ febrim putridam creant. Si uerò fames uel aqua putrida peſtis effectrix fuerit, nemo qui ueſcitur ijs rebus, quæ

mali ſucci ſunt, aut aquas putridas bibit, ab ea tutus eſſe poteſt: ſanguis enim uel optimus ſe cõuertit in peſſimum. De his etiam ſatis: nũc dicam de modis, quibus nobis à cuiuſcꝙ generis peſte cauere poſſimus, rurſus ab ea, quę ex aere peſtilente naſcitur, orſus: quam totam philoſophi, artis magicæ nõ imperiti, dęmonibus hominum ſpeciem gerentibus, qui ea ciues inficiebant, per populũ lapidatione ſubmotis, ab urbibus, ut Græci perhibent, auerterunt: & quidem Pythagoras à Thurio & Metaponto: Apollonius Tyaneus ab Epheſo. quod ut fictum & cõmentitium eſſe uideatur, ſacris certe literis proditum eſt, angelum peſte ſeptuaginta milia Iſraelitarum interemiſſe. eandem item peſtem totam, ut etiã quoduis aliud malum quod naſceretur uel ſerperet in urbe, ueteres uiri ueræ religionis ignari expiarũt uictimis, & de his aliqui etiam humanis, quas medicinales, quod peſti remedio putarent eſſe, nominauerunt: eas uero ſacerdotes Neptuno ſacra faciẽtes ſolenni hac precatione, piacula pro nobis ſunto, uſi, è promontorijs aut præru-

cum ad diei tempus, à Gregorio conſtitutum, cõueniſſet in unum locum, & uoce pro ſe urbisq; ſalubritate miſſa deum imploraſſet, octoginta homines unius horæ ſpacio mortui conciderint. uerum quia alienum eſt ab inſtitutis meis nunc religionem falſam refellere, & uerã confirmare, redeo ad propoſitum. peſtilentiam uel totam ab oppido, in quo habitamus, auertere debemus: uel, ſi id efficere non poſſumus, à noſtris corporibus depellere: tota nõ alia ratione auerti poteſt quàm ea qua uſus eſt Hippocrates: qui peſtem illam, quæ ex Æthiopia in Græciam inuaſit, non aliter curauit quàm aerem mutando: iuſſit enim in uniuerſa Athenarum urbe incẽdi coronas & flores odoratiſſimos, eiſq; infundi unguẽta pinguiſſima & ſuauiſſima: qua re effecit ut aer non amplius putridus & craſſus, ſed purus & tenuis à iuribus ſpiritu duceretur: nam aeris putredinem ignis conſumit, res odoratæ debilitant eadem ratione, qua pręceptor eius diſcipulos, hos ad quos, cum ab Illyrijs peſtilentia ueniret, ab illo dimiſſi erant, auxiliatos fuiſſe ueriſimile

oppidis & pagis arcere cõuenit, quòd ſi una & altera domus contagione labefactatę fuerint, eas claudere oportet, atque publice mercede conducere certos tum medicos, qui peſtilentia correptis auxilium afferãt: tum miniſtros, qui tam ſanis adhuc quàm morbidis eá quæ ſunt ad uictum neceſſaria, ſuppeditent: qui ſinguli bacillum decorticatum in manu geſtare debent, ut hac nota nõ aliter ac Iudæi Venetijs lutęa ueſte, uel parte ueſtis à reliquis ſecerni poſſint: etenim fugiendi maxime ſunt uitandiq́;, quod nõ raro, quanquam ipſi cõtagione nõ uexentur, alios contaminent: ſin autem peſtis in famulos & ancillas eorum qui gerunt magiſtratum, quò abire eis non licet, inuaſit, uehiculis erunt in aliquam caſam ex oppido exportandi, ne dominos contagione in eandem uim morbi ſecum trahãt. Venetijs ex plebe eos, qui in peſtilentiam incidunt, mox, ne in plures uulgetur, cum tota familia ex domibus ſublatos in cymbas imponunt, &, quę urbis illius in mari ſitæ ad exportãdum opportunitas eſt, in publicas ædes inſulæ, in æſtuarijs poſitæ,

quam

quam nominant Lazaretum uetus, euehunt, ipſiſq; medicamenta & uictum præbent: quos, ſi ex morbo conualuerunt, quadraginta poſt dies in publicas ędes alterius, niſi memoria fallor, inſulę, quã uocant Lazaretum nouum, inuehunt: nec prius reuehunt Venetias quàm totidem dies in ea conſumpſerint: ad has etiam ædes magiſtratus, ſalubritati ciuitatis præfectus, cogit eos ſe conferre, qui cum peſte infectis uerſati ſunt: nec antè domum redire quàm totidem dies ibi permanſerint: ex quibus ſi quis in hanc peſtiferam luem incidit, prioribus publicis ædibus importatur: qua ratione ſenatus prudentiſſimus ita ſuis ciuibus cauet, ut rariſſime huius generis peſtilentia conflictentur: idem magiſtratus uidet ne Venetias nauibus aduehantur incolæ uel ciues oppidi peſtilentia infecti: uidet ne putrida eſculenta poculenta'ue populo uendantur: uidet ne ullæ aliæ res putridæ uel fœtidæ aerem contaminent: ligna quę bene olent, de quibus paulò poſt dicam, publice & priuatim comburere iubet: quæ male prohibet: cuius modi ſunt taxi, buxi,

arboris iuglandis, arboris fici: hãc autem ciuilem Venetorum prudentiam cæterę ciuitates opulentæ & beatæ imitari debent. At ſi peſtis iſtiuſmodi rationibus de loco depelli & dimoueri non poterit, omnibus, quibus facultas fuerit propter publicorum munerum immunitatem & rerum copiam, ocyus de eo diſcedẽdum erit: & quidem longius: magnũ enim periculum eſt ne contagia per finitimos & propinquos ſerpant: nec redeũdum erit anteaquàm peſtis prorſus de loco abierit: quibus uero propter publica munera, quæ ſuſtinent, diſcedere non licet, aut qui à domo propter magna & operoſa negotia uel anguſtiã rei familiaris abeſſe nequeunt, eis maxime curę eſſe debet ut cœtus hominum, quoad poſſunt, omnes fugiant: ut aeris, quem ſpiritu ducunt putredinem, peſtis effectricem, uel domo, in qua habitant, prorſus excludant: uel, ſi per rimas in eam penetrauerit, aut à correptis illata fuerit, conſumant aut debilitent: utq; corpora habeant apta ad putredinis iſtius uim fragendam & repellendam. itaq; ſi cui cœtus hominum fugere

non

nō licebit,is uti debet medicamētis, quæ contra putredinem aeris auxiliātur: quæ qualia ſint,paulo pôſt dicam.feneſtræ uero domus,in qua habitat, ex ea mūdi parte, unde uentus aerem peſtilentem perfert,claudantur,ex alijs patcāt:at quia putredinem aeris,ut dixi,ignis cōſumit, res odoratæ debilitant,rurſus Hippocratem priuatim imitari conuenit:quare quiſque domi ſuæ frequenter ad focum ſedeat:cuius ignis alatur ſiccis lignis quernis, iligneis,roboreis, cerreis,fagineis,abiegnis, laricinis,pineis, piceæ, piceaſtri ſarmentis in quę cōijciantur odorati flores,herbæ,radices,frutices,arborum rami,ligna, cortices,fructus,reſinæ,lachrymę,animātium proprij generis excrementa, ſucci quidā in terra geniti,id genus flores ſunt roſæ,uiolæ,lychnides,crocus,flores,leucoij, flores iaſmini:herbę autē thymbra, ſatureia,ſerpillum,origanū,menta, mentaſtrum,nepeta, ſiſymbrium, pulegium, ocimum,ſampſuchus,bethonica,nardus Indica,Celtica montana:radices uero Iridis Illyricæ & Rhodia:at frutices roſmarinus,ſtoechas Arabica, ſtoechas Celtica,

chamæ-

chamæpeuce,polium,ſaluia, dictamnus, hyſopus,thymus,abrotanum,chamæcy-pariſſus,abſynthium Santonicum:ſed folia malobathri, chariophylli lauri, cortices cinamomi caſiæ, naſcaphthi, thuris, aſpalathi,fructus lauri,iuniperi,cedri, nucleus nucis unguentariæ, quam muſcatā nominamus,& eius membrana,quę macer dicitur,caryophila:ligna iuniperi,cupreſſi,cedri,agaloci,ſandali flaui,rubri,albi,tari utriuſq;,balſami.quæ in noſtris regionibus naſcuntur: omnia æquè arida ſint ac tranſmarina quæ ad nos apportantur,his exceptis quæ ſiccata ſuauitatē odoris deperdunt:iſtius uero generis reſinæ ſunt,ſtyrax,thus,reſina cedri,lentiſcina,quam maſtichen appellamus: quanquam ea minus eſt odorata:lachrymæ autem myrrha,bdellium, benzoum, balſamum: animantium excrementa muſcus & zibetū:ſucci deniq; in terra geniti ſuccinum,maltha, camphora: quinetiā eaſdem res odoratas in candentes carbones coniјcere quotidie oportet, atq; his domum ſuffire: ex iam dictis autem omnibus rerum odoratarū generibus opti-

ma & odoratiſſima quæque ſunt deli-genda, & ex eis conficiendi pulueres. qualis eſt nobilis ille, qui conſtat ex ſuccini candidi, ſtyracis, Iridis Illyricæ ſingulorum p. IIII ✠ maſtiches, nucis unguentariæ, maceris, cinamomi, cariophyllorum, croci, agaloci, ſingulorum p. II. ✠ benzoi, camphoræ, mannæ, thuris ſingulorum p. I. ✠ cum quibus æſtiuo tempore permiſcere oportet roſæ, uiolæ floris nymphææ: hybernæ, floris ſtichadis Arabicæ, floris ſtichadis Gallicæ, folij ſampſuchi ſingulorum p. ✠ trientem ex his pulueribus confici poſſunt rotulæ, ſi cum eis aqua roſacea & tragacantha miſceantur: pilæ, ſi ad eos adijciatur pluſculum ſtyracis & ladanum, ac cuique factæ illinantur tria muſci grana: candelæ ad ſuffumigandum accommodatæ, ſi cum carbonibus tiliæ permiſceantur. pulueres autem cum modico muſco commiſtæ inſpergantur ueſtibus: ijdem uel rotulæ inijciantur in prunas: candelæ incendãtur: quibus ſuffimentis domus expurgare, ueſtes, quæ ſæpius mutentur, imbuere cõuenit: ſed has pulueribus po-

tiſſimum

tiſſimum incenſis, illas rotulis & candelis. pilæ uero in aureas uel argenteas pyxides in orbis figuram formatas & foraminum plenas includendæ ſunt, & de collo ſuſpendendæ, ac, quoties res poſtulat, naribus admouendæ, & olfaciendæ. ſed pyxides ex lignis odoratis, qualia eſſe dixi iuniperi, cedri, cupreſſi, factæ longe præſtant metallicis: in id inſuper genus pyxidem odoratæ pilæ loco utiliter includitur ſpongiæ particula prius liquore, qui habeat aquæ bonæ roſaceæ partes duas, uini Cretici unam, aceti dimidiam, madefacta, & pulueribus, cum muſco permiſtis, conſperſa. quæ pyxis, ſi quando à contagione peſtis periculum eſt, alteræ manui illidatur, ut aliquid liquoris exilire poſſit, quo nares liniantur. Vt autem rerum odoratarum fumus cum aeris putredine commiſtus eam ualde minuit, ita fœdus & grauis rerum fœtidarum putridarumq; odor eam adauget. iccirco in conclaui domus habitare oportet diligenter repurgato, & nullum propter matellas aliaſq; res fœdas fœtorem redolente, atque etiam à

locis male olentibus remoto: cuiuſmodi ſunt latrina, cloaca, ſterquilinium, ſtabulum anſerum, hara ſuum, lacuna, in cuius aquas ſolis calore tepefactas linum, cannabis, geniſta, ſpartum immerguntur & aliquo pōdere deprimuntur, ut in eis macerentur: ſordidæ laniorum, coriariorū, pellificum, tinctorum officinæ: locus in quo mactatarum pecudum inteſtina repurgantur: locus in quem cadauera animantiū, quibus pelles ſunt detractę, proiecta uolucribus & canibus dilanianda & ſanie dilabenda relinquuntur: cōmunis ſepulturæ locus, præſertim cum ſepulchra non fuerint alta, nec corpora multa humo contecta. quid plura? & ſordes & fœtores, & putredines omnes fugere cōuenit. Corpora uero erunt apta ad putredinis iſtius uim frangendam & repellendam, ſi cor intemperie calida naſcente caruerit, ſi ipſa fuerint ac excrementis uacua & pura, ſi ſanguis non redundauerit, ſi uiſcerum ora & uaſa humoribus condenſatis non fuerint obſtructa, ſi cruditate non laborauerint, ſi præterea medicamentis, quæ aduerſus aerem peſtilen-

tem ſumuntur, corroborata fuerint. Vt autem cor intemperie calida carere poſſit, caueant primo ne in magnas perturbationes incidant, hoc eſt ne nimia lætitia effuſe exultent, ne in triſtitia & mœrore uerſentur: ne debilitentur metu, ne afficiantur angoribus: ne plurimum temporis in grauiſſimis & attentiſſimis cogitationibus ponant: ne incendantur ira: ne ſæpius de multa nocte uigilent: deinde caueant à maximis corporis motibus: quales ſunt quorundam opificum, meſſorum, foſſorum, uiatorum, uenatorum, pugnantium: tales enim animorũ & corporum cõcitati motus ſpiritum calfacientes uno die febrim, qua cordis corpus incaleſcit, excitant: ut etiam ſolis ardores & nimij balnearũ calores, à quibus eos non minus cauere oportet. Vt uero corpora ab excrementis uacua & pura eſſe poſſint, tali uictu, qualis flauã bilem, uel pituitam, uel humorem melancholicum gignit, nõ utantur: itaq; ne hi, quibus eſt calidum temperamentum, flauam bilem colligant, non ueſcantur multis allijs, cepis, porris, raphanis, naſturtio, ſinapi, eru-

ca,ſinapi Perſico,pipere, cinamomo, cariophyllo,zinzibere,croco, melle:nõ bibant uinum uetus & calidum, neq; meracius: non ſamen ſitim'ue patiãtur: ſe nec immoderate exerceãt,nec magnis laboribus frangant:nõ utantur immodice rebus uenereis,ſed potius eius generis uoluptatibus fruantur: ſudorem non eliciãt Laconico,neq; uapore calido,è terra profuſo,& in ædificijs incluſo, nec arenis calidis: uigilias non agant: uitent iram. ne his, quibus eſt frigida temperies, pituita ſubeat,non ueſcantur multa lactuca, portulaca, atriplici,blito,cucurbita, cucumere,pepone,perſicis, armeniacis: non bibant multam frigidam: otioſi & nihil agentes uitam non tranſigant: ſomno nimio non ſint dediti:ne his, quibus eſt frigida & ſicca natura, nimius humor melancholicus naſcatur,non ueſcantur multis ueteribus aut ſalitis carnibus bouillis, bubalinis, hircinis, ceruinis, leporinis, cochleis,braſſica,lente,aphace,uicia. nigrum uinum craſſum & auſterum non bibant. Sin autem corpora collegerunt talia excrementa, quiſq; redundans hu-

mor à ſanguine diuerſus medicamento detrahendus eſt:ipſe uero ſanguis qui ex boni ſucci cibis oritur, inciſa uena mittendus. humorum autem redundantium (liceat mihi modice hic egredi propoſito) ſigna ſunt color qui in toto corpore conſiſtit, ſymptoma quòd uel in toto corpore conſpicitur, uel in aliqua eius particula ſentitur, morbus, anni tempus, regio, cœli ſtatus, natura ſiue temperamentum corporis, ars in qua quiſque uerſatur, uictus ratio. etenim primo quod ad colorem attinet, ſi totum corpus pallidius, aut flauius ſolito factum eſt, flaua bile abundat: ſi fuſcius aut nigrius, atra: ſi albidius, pituita: ſi rubicundius, ſanguine. deinde ſymptoma, quod in toto corpore conſpicitur, puſtulæ ſunt. quæ ſi flauæ per totum corpus diſperſæ fuerint, rurſus id bile flaua redundare ſignificant: ſi fuſcæ uel nigræ, atra: ſi albidæ, pituita: ſi rubræ, ſanguine. cùm uero ſymptoma in aliqua corporis particula ſentitur, tum ſi quid quaſi morſu quodam dolorem uentriculo efficit, ſi idem habet cibi faſtidium, ac

magis ſitit quàm eſurit, ſi quod ſapit nidorem, ex nullis iſtius generis eſculentis & poculentis ortum, ructat, idq́ excrementa biliosa conſequantur, quæ uel uentriculus euomit, uel aluus reddit medicamentis non ducta, ſi denique guſtatus, cum homo nec eſcis nec potionibus fruitur, amaritudinem ſentit, flauam bilem in uentriculum concurriſſe declarat: ſi uero eſt alicubi eryſipelas, uel ſacer ignis, eandem in corpore ineſſe: ſi lien turget, ſi cancer naſcitur, ſi lepra, ſi ſcabies, ſi hæmorrhoides, ſi uarices nigræ, atram: ſi mentis inertia & ſegnicies eſt, ſi ſomnus profundus, ſi capitis grauitas, ſi ructus acidus, ſi alicubi tumor albidus & laxus, pituitã: ſi plenę uenę tumẽt, ſi alicubi eſt inflãmatio, ſanguinem: tum morbus humoris redundantis ſignum eſt: etenim febris tertiana, bilis flauæ: quartana, atræ: quotidiana, pituitę: continens ſanguinis. poſtea tempus. nam uere corpus pluſculum ſanguinis colligit, æſtate bilis flauæ, autumno atræ, hyeme pituitæ. deinde regio. quæ ſi temperata eſt, ſanguis ſubit: ſi calida & ſicca, bilis flaua: ſi frigida & humida,

humida,pituita.poſthęc ætas.pueri enim & adoleſcentes, ſi uixerint ordinatè, abundant ſanguine: iuuenes flaua bile, uiri atra:ſenes pituita. tum cœli ſtatus. nam ſi temperatus eſt,abũdat ſanguis: ſi calidus & ſiccus, bilis flaua: ſi frigidus & ſiccus, atra:ſi frigidus & humidus,pituita. deinde natura. etenim temperata gignit ſanguinem: calida & ſicca,bilem flauam:frigida & ſicca,atram: frigida & humida,pituitam. poſtea ars in qua quiſq; uerſatur. hi enim qui uenas metallorũ excoquũt, & opera metallica fabricantur, bilem colligunt: ſtudioſi doctrinarum & piſcatores,pituitã.poſtremò uictus, de quo paulò antè ſatis dixi. Hæ ſunt obſeruationes ad quas dirigi ſeruãtis ſe ex hac peſte cõſilium debet: quæ medicis notæ ſunt.ſed non minus medicinæ tam compoſitæ quàm ſimplices quæ bilem flauam detrahunt, quæ atram,quæ pituitã. ĳſdem etiam notæ ſunt uenę,quas,ſi corpus ſanguine redundauerit,incidere oportet. quæ ſingula ſi nunc perſequar,non exiguam medicinę partem intempeſtiuè retexiſſe uidebor:pręſertim quod in tertio libro plera-

que exponere neceſſe habeam. Omnes autem homines cùm alijs omnibus temporibus,tum maximè peſtilentibus curare debent,ut id quod è capite deſtillauit, os expuat, fauces excreẽt, pulmo extuſſiat:ut aluus quotidie ſemel aut bis excernat,ut ueſica ſæpius urinã reddat: mulieres uero præterea prouidere debent, ne menſes ſupprimãtur, ne hæmorrhoides uiri,quibus fluere conſueuerunt. Sed de his ſatis: nunc ad inſtitutam rationem redeo. Vt uiſcerũ, iecoris ſcilicet, lienis, renum, ora & uaſa humoribus condenſatis non obſtruantur, caueãt homines ab eſu multo ciborum qui craſſi & lenti ſucci ſunt.qualis eſt ex his,quæ terra gignit, lens,qualis bulbus:ex his quę terra peperit,facta,amylum,alica, placentæ,liba,panis qui neq; multũ habet fermentũ neq; ſatis coctus eſt: ex animantium gradientium genere hæ partes,oculi, aures, nerui,inteſtina,pedes,cutis, caro ſuilla, agnina,ceruina,caprina, bubalina,caſeus: ex aquatiliũ genere hi piſces,pinguis cyprinus,ſturiones,anguillæ, lumbrici fluuiatiles,thunni,cetaria: ex eodem aquatiliũ

gene-

genere planum, cui pro ſpina cartilago. qualis eſt raia, paſtinaca, ſquatina, torpedo, bos, lamia, aquila, rana: ex eodem genere cruſtis cõcluſum duris, quales ſunt pectines, digiti, muſculi, balani, tellinæ, patellæ, purpuræ, murices, pinnæ, oſtrea, cochleę. ſi uerò uiſcerum ora fuerint obſtructa, reſerantur his ipſis medicamẽtis quæ uim habẽt incidendi, penetrãdi, atte nuãdi, abſtergẽdi. cuiuſmodi ſunt ex ſim plicib. medicamẽtis piper, zinziber, thymus, pulegiũ, ſatureia, calamintha, origanũ, hyſſopus. quæ cũ caricis permiſcẽdæ & lõgiuſculo tẽpore prius ꝙ cibus ſuma tur dandæ ſunt. eandẽ uim habet piper al bũ in tenuiſſimũ puluerẽ contritũ atq; ci bis inſperſum & potionibus immiſtũ, cepe, allia: ex cõpoſitis id quod ex calamin tha nomẽ inuenit: quod ex tribus piperis generibus conſtat: antidotus quæ ex uiperis nominatur theriaca: ambroſia & athanaſia, quarũ utraq; ex immortalitate nomẽ duxit. uerùm quibus iecur craſſis & lentis humoribus obſtructum eſt, his quaſi lapidis cuiuſdam põdus in dextris præcordijs, quibus lien in ſiniſtris, ſic

iacere uidetur, ut ſuperiores partes deor
ſum trahãtur & uſq; ad iugulum tendan
tur: quibus autem renes, his graue quid=
dam ineſſe uidetur in locis qui ſunt inter
lumbos & ſpinam. Ne uero in crudita-
tẽ (de ea loquimur quæ male habet uen-
triculum, & quæ eſt in uaſis) incidãt, mo
deratè ſe exerceant, & caueant ne in cibi
uel modo, uel tẽpore, uel ordine, uel ge-
nere peccent: caueant ab intemperantia
rei uenereæ: caueãt à nimis breui ſomno.
ſed ſiue in primam cruditatẽ inciderint,
cuius indicium ſunt crebri ructus, uẽtris
ſonitus, faſtidia cibi: ſiue in alteram, cuius
ſignũ eſt crudus ſuccus qui in urinis reſi-
det, tempeſtiua abſtinentia eis opus eſt. ſi
uerò prima ex morbo fuit orta, ſeu uen-
triculi intemperies fuerit, ſeu tumor ali-
quis non naturalis, adhibenda medicina
quæ illum ſanare poſſit. Vt deniq; cor
pora medicinis uſq; adeò corroborentur
ut aer peſtilens, ſpiritu in pulmonem du-
ctus, ipſis nõ noceat, qui in eo uerſantur,
illas ieiuni ſingulis diebus accipiãt quas
accipere ſolent hi qui ſunt in metu pro-
pter uenena, quæ in cibo uel potione da-

ri poſſunt. ſed omnes primas tribuūt Andromachi theriacæ. quā qui ſumunt, eos in peſtilente aeris ſtatu neutiquā hoc malo corripi Galenus ſcriptum reliquit. in hac ſumenda conſiderare oportet regionem, anni tempus, cœli ſtatum, ætatem, temperamentum, uires. nam nec in calida regione nec in ęſtate, nec in calido cœli ſtatu, niſi ſumma neceſſitas poſtulet, danda eſt, ne febrim excitet: nec pueris, ne corpus reſoluat, & natiuum ſpiritū extinguat. quinetiam ætate florentibus, & multo naturali calore præditis neqꝫ multa neqꝫ ſæpe exhibēda eſt. cùm præterea exiguum ad ipſius concoctionem interuallum erit, fabæ Ægyptiacæ magnitudine cum duobus aquæ cyathis temperata eſt danda: cùm plus temporis ad eius diſtributionem, nucis auellanæ cum tribus cyathis. ſecundas tribuunt glebæ Armeniæ, quæ denarij pondere datur ex uino tenui. quanquā Galenus in magna peſtilentia, ei quæ Thucydidis tēporibus homines afflixit aſſimili, nō iccirco ſumptā ſcribit, ut in morbum nō inciderent, ſed ut, cùm incidiſſent, eum ſanaret. tertias

de-

deferunt ad antecedentem Rufi potio-
nem. quæ conſtat ex duabus aloes por-
tionibus: & totidem ammoniaci thymia
matis,ac una myrrhæ. ea diluuntur odo-
rato uino, cuius quotidie tantũ, quantũ
capit dimidius cyathus, datur. Rufus ait
neminẽ ſe nouiſſe, qui hac potione uſus
nõ ex peſte dextre uictor euaſerit. quar-
tas deferũt ad cyphea,quę,ut Paulus Æ-
gineta memoriæ tradidit, nõ modò nari-
bus ſuffita proſunt peſtilẽtib.morbis,ſed
etiã comeſa.quintas dant myrrhidis radi
ci.eam enim etiã Dioſcorides, cùm peſti
lẽtes cœli ſtatus fuerint,bis aut ter die po
tam hominib.ſic prodeſſe ut in morbum
nõ incidant,aliquos narraſſe ſcriptũ reli-
quit.ea uictoriati põdere datur ex uino.
ſextas dant aro.quã etiam in peſtilẽtia ſa-
lutarẽ eſſe in cibis aliquos dixiſſe Plinius
literis prodidit. eodem pondere ſumitur
itẽ ex uino. His medicamẽtis Græcos in
peſtilentia auxiliũ attuliſſe intelligimus.
eos uerò ſecuti ex aliјs præterea quæ ue-
nenis medentur uſum habere cœperũt.
nam ipſis uiſa ſunt ita ab aeris putridi ue-
neno ſeruare poſſe, ut à cæteris uenenis
poſſunt

poſſunt. id genus ſunt aliquot medicinæ cõpoſitæ, ſed plures ſimplices. cõpoſita eſt Mithridatis theriaca. cuius tantũ, quãtum magnitudinẽ nucis Græcæ implet, in potione uini diluitur & ieiuno datur: antidotus Apollonij Muris, ut Galenus ait, uel Mithridatis, ut Plinius. quę habet rutæ folia uiginti, nuces iuglandes duas, ſalis grumum unum, caricas duas. ea ſine liquore editur: antidotus ex ſanguinib. quæ ipſa pondere denarij itẽ uino diluitur & potui datur. at ſimplices medicinas terra partim intra ſe gignit, partim ex ſe profert in lucẽ. in illis primo numeratur terra Lemnia, quam Turcæ quoque noſtris temporibus homines à peſte tueri perhibent, & ea correptos ſanare. denarij autem pondere bibitur ex uino. deinde ſmaragdus, quem Arabes non modò in uenenis, ſed etiam in peſtilentia magnam uim habere dicunt. eius ſcobis octo grana item ex uino dantur: tum ſuccinum, cuius naturam Germani cognouerunt. eius in puluerem contriti pondus denarij ſumitur ex uino. nec minorem uim habet ambra ei cognata: maiorem

ſorem camphora. ex harum uerò numero ſunt radices aſclepiadis, ſmyrnij, chamæleonis nigri, dauci, agreſtis nardi, quā phu uocant, petaſitæ, quinquefolij, cyperi Babylonij, zedoariæ, dictamni noſtratis. hæ radices omnes in peſtilentia ſalutares ſunt cum alijs in puluere uel eclegmate: per ſe autem pondere uictoriati hyeme dantur ex mero, æſtate ex uino aqua roſacea temperato. folia quoque dictamni Cretenſis remedio ſunt cōtra peſtem. eidem prodeſt ſemen acanthij & citrei mali, eiuſdem etiam ſuccus & cortex. ſuccus inſuper betonicæ hortenſis per ſe utilis eſt peſti, ſuccus uerbenæ, ſuccus ſcabioſæ, ſuccus calēdulæ. cuiuſq; uerò duo cyathi Romani bibūtur. cornu præterea beſtię unicornis in peſtilentia efficax eſt, & cornu ceruinum, atque os, ſiue magis quiddam cartilagini ſimile, in corde cerui repertum. Ex ſimplicibus autem medicamentis fit puluis qui habet radicis ari, myrrhidis, ſmyrnij, aſclepiadis, chamæleonis nigri, ſingularum p. VI. ⚹. radicis dauci, petaſitæ, agreſtis nardi, ſingularū p. V. ⚹. radicis quinquefolij, cyperi Babylo-

bylonij, zedoariæ, ſingularum p. IIII. ⁎. foliorum dictamni Cretenſis, ſeminis acanthij, ſeminis citrei mali, ſingulorũ p. III. ⁎. corticis citrei mali p. II. ⁎. ſacchari cãdidi & puri p. XXXVI. ⁎. denarij pondere in potione uini diluitur, & ieiuno datur. Si uerò periculum fuerit ne cor hominis, qui his calidis medicamentis utitur, nimis calefiat, roſæ, uiolæ, rhodiæ radicis, ſcobis ſandali flaui, rubri, albi ſingulorum p. I. ⁎. adijci debet. Alius puluis conſtat ex glebæ Armeniæ p. VII. ⁎. terræ Lemniæ p. VI. ⁎. ſuccini candidi p. V. ⁎. ſcobis cornu ceruini uſti p. IIII. ⁎. ſcobis oſſis in corde ceruino reperti p. III. ⁎. ſcobis cornu beſtiæ unicornis p. II. ⁎. ſmaragdi p. I. ⁎. camphoræ p. ∀. ſacchari candidi & puri p. XIIII. ⁎. item denarij pondere ſumitur ex uino. Ex ijſdem ſimplicibus melle uel paſſo exceptis fiunt eclegmata. quale eſt quod habet radicis petaſitæ, radicis chamæleonis nigri, radicis quinquefolij, foliorum dictamni Cretenſis, gentianæ, ſingulorum p. I. ⁎. myrrhæ, croci, glebæ Armeniæ, ſingulorum p. ∀. zedoariæ, baccarum

iuniperi, corticum citrei mali, ſeminis acanthij, ſingulorum p. ✠. I. & ℥. in puluerem contrita excipiuntur melle. datur p. II. ✠. Ex iiſdem deniq; ſimplicibus conficiuntur liquores ſtillaticij, qualis eſt in quo ſunt, baccarū iuniperi, radicis aſclepiadis, radicis agreſtis nardi, radicis quinquefolij, radicis dictāni noſtratis, zedoariæ, cyperi Babylonij, ſingularū p. XXX. ✠. ſuccini candidi, myrrhæ, glebæ Armeniæ ſingulorum p. XV. ✠. aloes, ammoniaci thymiamatis, camphoræ, terræ Lemniæ, ſingulorum p. VII. ✠. ſeminis mali citrei, ſeminis acanthij, folij Cretenſis dictamni, ſingulorum p. V. ✠. primo radices ſecātur in minutas particulas & ſemina leuiter tundūtur. deinde omnia macerantur tribus diebus in ſucci mali punici, mali arantij, mali citrei, limonis, ſingulorum duobus cyathis, & uini Cretici ſextario. tum in ampullam infunduntur, & lento igni deſtillantur. datur uerò hic liquor cochlearis menſura ieiuno. etenim, ne peſtis in homines irrepat, mane ſingulis diebus unū aliquod iſtius generis medicamētum compoſitum uel ſimplex ſumant:

mant:maximè uerò cùm è domo ſunt egreſſuri.quod prius non fiat,quàm ſol aërem ſua luce illuſtret, aliquantum ſuo calore purget. arbitror etiam ſalutare fore cor medicamentis extrinſecus firmare. quo ſanè modo ſacculus, qui medicinas cõtra peſtẽ efficaces in ſe cõtineat, è purpurea ſindone conficiendus eſt, & ſupra cor quod eſt ſub mamilla ſiniſtra inponẽdus.itẽ cãdida ſindon duplicata, & id genus aquis ſtillaticijs madefacta. quòd ſi in metu fuerimus propter cor ne medicinis, quæ cõtra peſtem proſunt, calefactũ in febrim ad habitũ perductam incidat, cum eis permiſcendæ ſunt refrigerantes. prioris generis ſacculus fiat ex flore buglosſi,echij, cirſij, ſtichadis Gallicæ, foliorum apiaſtri, roriſmarini,ocimi,ſingulorum p.I.℥. corticis mali citrei, corallij rubri, corallij albi, oſſis in corde ceruino reperti,camphoræ, telæ bombycinæ combuſtæ,ſingulorum p.℈.muſci grana IIII.croci grana II. Poſterioris uerò generis ſacculus fiat ex roſa rubra, uiola, flore, bugloſſi, echij, cirſij, ſingulorum p.I.℥.folij myrtini, corticis mali citrei,

corallij rubri, corallij albi, ſuccini candidi, ſandali albi, ſingulorum p.℥. Simili modo prioris generis epithema habeat aquæ ſtillaticiæ apiaſtri, ſtichadis Gallicæ, roriſmarini, ocimi, uini Cretenſis, ſingulorum cyathos tres, aquæ ſtillaticiæ, bugloſſi, echij, cirſij, aceti, ſingulorum cyathum unum, corticis mali citrei, ſeminis ocimi, zedoariæ, corallij rubri, corallij albi, oſſis in corde ceruino reperti, camphoræ, ſuccini candidi, ſingulorum p.℥. croci grana IIII. muſci grana II. Poſterioris uerò generis habeat aquæ ſtillaticiæ roſæ, cichorij, floris ſalignei, ſingulorum cyathos duos, aquæ ſtillaticiæ bugloſſi, echij, cirſij, uini Cretenſis, aceti, ſingulorum cyathum unum, ſandali flaui, rubri, albi, tari, corallij albi, corallij rubri, oſſis in corde ceruino reperti, unionum p.℥. croci grana II. muſci granũ I.

Hactenus de ratione qua nos à peſte, ex aere peſtilente orta, tueri poſſumus, dixi: nunc dicam de ea qua nobis cauere poſſumus ab altera, ex calida & humida aeris intemperie nata. uictus ratio eorum quibus eſt calidum & humidũ tempera-

peramẽtum, ne in intemperiem calidam & humidam delabantur, declinare debet ad frigidum & ſiccum: quibus calidum, ſed ſiccitate & humiditate temperatum, ad frigidum tantummodo, ut in reliquis duabus qualitatibus temperiem ſeruent: quibus humidum, ſed calore & frigore temperatum, ad ſiccum, ut etiam in reliquis duabus qualitatibus temperiem retineant: quibus calidum & ſiccum, ad frigiditatem ſolum: ut quibus frigidum & humidum. ad ſiccitatem: quibus prorſus temperatum, temperiem ſeruent: ut etiam quibus ſiccum, ſed calore & frigore temperatum, aut quibus frigidum, ſed humiditate & ſiccitate temperatũ. nam altera qualitate ſtatui repugnant: ſicuti frigidum & ſiccum utraque, quocirca eis remedio eſt. Quoniam uerò medici cibos & potiones norunt, de ipſis perpauca dicam. quibus temperamentum calidum & humidum eſt, iis obſoniis debent uti quæ uim habẽt refrigerandi & ſiccandi. lactuca quidem & portulaca refrigerant: ſed quia humidæ ſunt, cum eis commiſcere oportet ea quæ ſiccãt. cuiuſmodi

ſunt ex herbis anethũ,pulegium,menta, origanũ,naſturtiũ: ex fruticibus thymus: ex radicibus porrũ & cępe: ex ſeminibus anethũ,apium,carũ,lybiſticũ, cuminum. quomodo etiam cõuenit ptiſana,ſi anethũ ei fuerit incoctũ: magis uerò phacoptiſana,ſi ſatureia uel pulegiũ.cõuenit etiã panis hordeaceus. cõueniunt carnes aſſatæ: maximè ſi embammata facta fuerint ex ſatureia uel ſaluia cum aceto uel omphacio, quorum utrũq; refrigerat & ſiccat, cõtrita. eodem modo conueniunt piſces aſſati. contrà uitandæ ſunt multæ carnes elixæ,in primis lactentis uituli, agni,porcelli:uitandæ aues quæ in paludibus degũt:uitandi multi piſces elixi:pręſertim in limo editi: uitanda multa iura: uitãdæ multæ potiones.hæc enim omnia humectãt. quibus uerò tẽperamentũ eſt tantũmodo calidũ,obſonijs utantur quæ intentius refrigerãt,remiſſius ſiccãt: quibus humidũ, ijs quæ uehemẽtius ſiccãt, lenius refrigerãt. Quod uerò ad balneas attinet, calidis & humidis nõ cõuenit ſæpius in ſolium deſcendere, in quo calida inſit,q; ea calefaciat & humectet:nec ca-

lidis

lidis in tepidario inſudare,uel in caldario ſudare,quod utrũq; calefaciat: nec humidis in ſoliũ deſcendere, in quo tepida inſit. quæ ut nõ calefaciat, tamẽ humectat: nec iiſdẽ in id, in quod frigida ſit infuſa, quæ ut infrigidet,tamẽ humectat. Quin etiam quoties corpus in tantam intemperiem deuenerit ut augeat bilem flauã,uel atram,uel pituitã,euacuandum eſt: quoties ſanguis redundauerit, is uena inciſa mittendus.

Reſtat etiam de ratione, qua nobis à tertij generis peſte, ex eſu frumenti putrefacti, uel è potu aquæ corruptæ nata, cauere poſſimus. quoniam uerò rariſſima quæq; cœli intemperies ab aſtrologis prædicta euenit, nec ullius hominis prouidentia tam perſpicax eſt, ut præuidere poſſit annũ uel annos, quibus talis intemperies euentura ſit,qualis frumenta, anteaquam ad maturitatẽ deueniant, rubigine uitiet, ut ea coemat proximo ſuperiore anno orta,ad incertos temporis euentus patremfamiliâs prudentem ſemper paratũ eſſe,& frumentorũ reconditorũ copiã habere oportet. quã diues

 facilè

facilè poteſt habere, pauper difficulter,
rebus omnibus egens & mendicus diffi
cillimè. paterfamiliâs attentus præterea
ſtudioſè diligēterq; curabit, ut praua con
dendi ratio frumenta mucore non re-
pleat.idem recondita, ne ea longinqui-
tas temporis in putridam affectionē com
mutet, tempeſtiuè diuendet: atque re-
centia in eorum locū recondet,quo mo-
do id genus peſtis in homines tantūmo-
do egentes & indiligētes inuadet.quan-
quā ſi ita feret caſus infeſtus, ut granariū
incendio conflagret,frumēta,quę pater-
familiâs cautus & ſolers prouidentiſſimè
parauit & recondidit,peribūt.quæ eadē,
cùm oppidū maxima hominū multitudi
ne obſidebitur diutius, plebs & milites
fame cōmoti diripient,atq; neutro modo
ille cōmunem frumēti emendi, uel famis
ferendæ neceſſitatē effugere poteſt.quæ
neceſſitas etiam interdum obſeſſos co-
git aquas bibere cloacales:ut eadē exer-
citū,quē hoſtis ualidior ſic coercet, ut li-
berè aquari nō poſſit, limoſas, cœnoſas,
lacuſtres, paluſtres quaſdam. ſed aqua-
rum uitia, ſi tempus datum fuerit,aliquo

modo corrigi poſſunt: limoſæ quidem, quibus cœnoſæ non multum diſſimiles ſunt, ut purgandæ ſint, libro tertio De natura eorum quæ effluunt ex terra, paucis explicaui: quæ repetere neceſſe non habeo. quibus uero modis cloacales, lacuſtres, paluſtres, aliæq; putridæ ſint corrigendæ, nũc dicam. Primo in linteum infuſæ ſępius, maxime ſi fuerint turbidæ, colentur, deinde permiſceantur cum aceto, uel omphacio, uel acido mali punici, aut citrei, aut limonis ſucco. ſi liquores iſtius modi defuerint multitudini. quiſq; ſingulis dieb. mane deuoret Andromachi uel Mithridatis theriacæ p. ✝ quadrantem, & uſq; ad meridiẽ cibo & potione ſe abſtineat. qui uero primi condunt urbes, ut ciues aquas corruptas uitare poſſint mœnia conſtituant in his locis, qui uel aquis ſalubribus abundant, uel in quas facile inuehi & importari poſſunt. oppidũ pręterea ad inſalubrem lacum uel paludem, aut ad Charoneas ſcrobes ędificatum, ad imitationem M. Hoſtilij aliò transferre oportet. is enim, cùm Salapiã ad lacum ſitam quatuor milia paſſuum ab eo tranſtuliſſet,

ſtuliſſet, Salapinos annua peſte liberauit: ut Empedocles Selimuntios, cùm in male olentem lacum, eorum oppido uicinum, unde peſtis orta fuit, duos fluuios ſuis impenſis deriuaſſet.

GEORGII AGRICOLAE DE PESTE LIBER TERTIUS.

IN ſecundo libro dixi de ijs quos potiſſimum aer peſtilẽs ſuo ueneno inficiat, quos peſtifer ſua intẽperie lędat, qui pernicioſum ſuccum ex cibis & potionibus corruptis colligant, de modis etiã quibus ab his malis nobis cauere poſſimus: in hoc tertio libro dicã de rebus quæ indicio ſunt aliquem ijſdẽ malis eſſe affectũ: de ſignis tam malis quàm bonis: de medicamẽtis quæ eos ad ipſos mortiferos morbos dare oporteat. Vt autem rurſus ſingulatim quodq; peſtis genus perſequar, in quem ex aere putrido orta inuaſit, is ſi laborat febri ad habitum

perducta, non ſentit eam ſe habere: quòd ipſa perpetuo ſui ſimilis ſit. nec enim, quæ natura huius febris eſt, acceſſio fit ulla, neq; magis corpus unquam incaleſcit, neq; conſiſtit calor, neq; ſequitur remiſſio: quare ægrotus negat ſe febrire. medicus uero, qui manibus ægroti pectus attingit, caloris & acrimoniam & ſpeciem percipit. arteriarum præterea pulſus non maiores & crebriores quàm eſſe ſolent, ſed tantummodo celeriores: & quidem imbecillos, ut omnes ſunt qui corporis ipſius intemperiem conſequuntur. idem medicus cernit ægrum ſpiritus magnos, crebros, celeres ducere & emittere. quanquam autem ægrotus febrim non ſentit, tamen cor, quod ipſum putredine ſit infectum, angoribus confici ſentit, & uires debilitari. eius pulmo peſtilentem animam reſpirat: quã fœdi eſſe odoris aſtantes & aſſidentes omnes ſenſu percipiũt. medicus præterea uidet colorem in primis partium oris pallore, qualis eſt eryſipelati uel ſacro igni mutatum: & urinas aut hominis ſani urinis eſſe ſimiles, & nullam morbi certã ſignificationem habere: aut

re: aut eis innatare quædam, quę mortem denuntiant. ſubliuida ſcilicet, uel ſimilia latis araneorum telis, quarum aliæ ſuper alias lanarum inſtar iniectę ſunt: aut nihil proſus innatare, uel in eis ſubſidere, q̃d ſpem uitæ oſtẽdat uel mortis periculum portẽdat: quinetiam oculos ægro, ubi in balneas uenit, ut uenire ſolẽt qui crebro lauãtur, calidos & flammeos fieri, taleſq; permanere donec uitam cum morte cõmutet: ſicut omnes, qui hac febri iactantur, cõmutant. Sin morbo peſtilente æger, putrida febri laborat, ipſe ſentit ſe febricitare, uerùm nõ perpetuo æqualiter, ſed in initio leniter, quòd putredo nondũ ſatis magnas uires habeat: deinceps acrius, quòd tempus malo plerunq; afferat incrementum. ueruntamen calor in uiſceribus incluſus urit intus, foris uehemens eſſe non uidetur. quod etiam Thucydides hiſtoricus in Athenienſib. cùm eius temporibus peſtilentia conflictarentur, animaduertit. etenim ſcribit, corpus, ſi quis ipſum tangeret, extrinſecus non ualde calidum fuiſſe, cùm interiores eius partes ſic urerentur, ut ægri neq; tenuia

ueſtimenta neq; lintea ipſis iniecta ſuſtinerent, ſed nudi cubarēt. medicus autem experiens hęc non modo ex ægroti uerbis & corporis contactu diſcit, ſed ex inſpirationibus & pulſibus. nam utranq; actionem magnam, crebram, celerem cōperit, non tamen poſteriorem ſtatum, imbecillā, ut eius qui peſtilente febri ad habitum perducta laborat. intus autem in ægroti pectore maximi ſunt ardores, q̄d humor, qui eſt in cordis uentriculis, primo putrefactus incaluerit. eiuſdem non pulmo ſolum peſtilentem animam reſpirat, ſed totum corpus per inuiſibilia cutis foramina peſtilētes halitus emittit, quod putredo in ipſum diſtributa ſit. hæc quoque pleriſq; omnibus cōmunia ſunt: tumores omnes cæteris eiuſdē generis tumoribus iccirco peiores eſſe, quod ex putridis humoribus ſint orti: ſi caput humoribus repletum fuerit in initio morbi ægrotum propter eos ad ſomnum propenſum eſſe, deinde propter putredinis acrimoniam ſomnum non capere & delirare: linguam febris ardore torreri: ægrum ualde ſitire, cibum faſtidire: non raro uocem

cẽ miſſam reflectere, quod guttur & fauces ab humore putrido ſint occupatæ: humorem in locum cuiq; ęgro maxime imbecillum expelli: deiectionibus laborare aut ferè nullis, ſed cibum & potionẽ omnem euomere: aut multis & colliquefactis, eaſq; ſolito magis fœtere: urinas ueterinorum inſtar eſſe turbidas, quod calor crudos humores, quibus uenæ refertæ ſunt, agitet, ſi uero tales non fuerint, quæ in eis ſidunt plerunq; eſſe mala, quę innatant peſſima: præcordiorum intentiones adeſſe: multos ſudores fœtidos conſequi: nares ſanguine ſtillare. Verùm hi minus periclitãtur, qui antidotũ ſumptam non reuomunt, nec cibos, nec potiones: quibus natura atque ius corporis ocyus in plures partes ſe exonerãs procul à corde plures gignit tumores, & quidem in glandulis magnos & ſuppurantes, maxime ſi febris aliquantum remittat, & cætera mala fiant leniora: quorum corpus æqualiter totum ſudat. contrà his periculum mortis eſt iniectum, qui antidotum ſemel atq; iterum datam, & cibos & potiones reuomunt: quibus nul-

lus tumor apparet, aut, ſi apparuerit, ſubito ſubſidit, quòd naturæ tanta uis nõ ſit, ut humorem putrefactũ poſſit expellere, aut, ſi expulit, pus gignere atq; ſanare. his etiam iniectum eſt mortis periculũ, quibus tumor qualiſcunq; medicamentis ſuperpoſitis non maturatur, ſed corrumpitur: quibus inflammatio ferro inciſa fit liuida & ſicca: quibus ex carbũculis, item ferro inciſis, neque pus, neq; ſanies exit, ſed quædam quaſi ſpuma: quibus inflammatio, uel carbunculus circa fauces incidit, etenim repente ſpiritum frequenter elidit, atque ſic hominem ſtrangulat. quibus cerebrum phrenitide, iecur inflammatione laborat: quibus puſtulæ uaris ſimiles ante diem decretorium exortæ ſtatim in liuorem, uel in nigrorem, uel in eundem rubore miſtum, uel in uiolaceum colorem, uel in uiriditatem quandam mutantur: quibus, ubi nares multo ſanguine ſtillarunt, aut corpus eundem exudauit, meliuſcule nõ eſt, etenim annis abhinc ferè duobus Miſenæ, à qua urbe regio nomen traxit, mulieris cuiuſdam peſtilentia correptę pectus & caput

triduo

triduo ſudarunt ſanguine priuſquam ex-
tinguerentur. his præterea mortis pericu-
lum eſt iniectum, qui atram bilem uomũt
uel deijciunt: quibus aluus nihil aut parũ
excernit, aut crebro perliquidum & pin-
gue & odoris fœdi: quibus ueſica nullã
aut paucam urinam reddit, aut inſtar mu
ſti turbidam, in qua nihil ſubſidit, & quę
mali eſt odoris. uariæ etiam multorumq;
colorum uomitiones, deiectiones, uri-
næ, periculum mortis oſtendunt: præſer-
tim cùm magna fœditas odoris acceſſit.
mens deniq; cõtinenter turbata, mortem
ſubeſſe teſtatur: ut autem hæc morituri
ſigna ſunt, ita morientis pulſum arteria-
rum eſſe inæquabilem & fornicãtem: ex-
tremas corporis partes frigidas habere:
frigido ſudore circa pectus & faciem ſu-
dare, cũ animi defectione. & ſi hæc ſigna
peſti cum multis alijs morbis communia
ſunt. mortui uero peſte ſignum eſt, liuor
naſi, aurium, unguium fœdior quàm in
alijs mortuis eſſe conſueuit. At qui pe-
ſtilentia, ex diuturna aeris intemperie or
ta, conflictantur, ſi ardente febri laborãt,
initio, ut dixi, ſoporãtur: angoribus con-
ficiuntur:

ficiuntur :horroribus perfunduntur:dorſi dolorem habent:non eſuriunt: non ualde ſitiunt:uox uitiatur:non multum delirant,ſed ſopore uigilante detinentur.ueruntamen nonnulli uigilia cum dolore uexãtur.multa quæ cruda & tenuia ſunt excernunt: aut urinas multas & tenues reddunt: aut ſudant, & quidem qui largius,uitam & ſpiritum longius quàm cęteri ducunt:attamen plerique omnes quia hæc excrementa, ſiue multa ſiue pauca fuerint,morbum non iudicant, ſed ſymptomata ſunt: neque ſanguis decretorius ex narib. profluit,qui multus ſemel profluere ſolet; ſed pauco ſubinde ſtillant: nec abſceſſus ullus decretorius fit, incerto ordine moriũtur:ferè tamen circa dies decretorios. Non diſſimilia phreniticis accidunt.ſed hi prorſus nõ ſitiunt: quanquam autem, ut alij phrenitici non inſaniunt, tamen mens eis turbata eſt, & ſopore languidi grauiter pereunt. At eryſipelas quo homines ante uer,uere,æſtate, autumno infeſtantur, non pus gignit, ſed ſaniem putridam, mali odoris, colore pallidam uel liuidam.quæ & ipſum ul-

cus & iunctam ei partem adeò erodit, ut quibuſdam ſuppurationes, magis uero putredines puri nõ aſſimiles, tantæ fiant, ut non modo multa caro, ſed etiam nerui & oſſa decidant, aut, ſi non deciderint, denudentur. quod etiam punctis & ictis accidit, cùm uulnera curantur. qui ægri plerunq; ex morbo euadunt, quod humor putridus in uiſceribus ſe non recondat, ſed erumpat è corpore. qua de cauſa etiam hi euadunt, quorum aluus turbata excernit bilioſa, & ueſica bilioſam urinã reddit. quibus uero horum nihil accidit, & inflãmationes ac eryſipelata orta mox euaneſcunt, complures mortem obeunt. ſacer autem ignis & carbunculus eryſipelate peiores exiſtunt. corporis quoq; partes, quæ proximæ ſunt lippitudinib. apthis, carbunculis, tuberculis, ſiue in locis quæ ad fauces ſunt, ſiue in pudendis & inguinibus fuerint, putreſcunt. quomodo in gingiuis quoq; abſceſſus fiunt, & in ore atq; pudendis exulcerationes. ſed lippitudines ſunt humidæ, diuturnæ, cum dolore coniunctæ: palpebrarum ficus multorũ uidendi ſenſum perdunt. At

omnis

omnis generis puſtulæ ſi multæ fuerint, inter bona indicia ſunt: ſi paucę, inter ma la: ſed tertij generis ſub cute latentes, aut in colorem uiolaceũ, uel uiridem, uel nigrũ mutatę, inter peſſima, pręſertim cùm æger ſupinus cubat manibus & cruribus porrectis, aut ueſica nullas urinas reddit, aut aluus ſupprimitur, aut ſudor frigidus prorũpit. hi quibus iſtæ tertij generis puſtulę uariculis ſimiles oriũtur, in initio, ut etiam quidem peſtilentia primi generis correpti, plerunq; adeò leniter febriũt, ut nec ipſi nec medici multum metu ſoliciti ſint: poſtea acrius, ſentiũtq; membra eſſe admodum male laſſata, & totum corpus, quaſi multo labore fractũ eſſet, debile. eis ferè quarto uel ſeptimo die, quo puſtulę erũpũt, mẽs turbat̃, loquũtur multa & interdũ aliena, oculi rubẽt. q̃d uero ad cętera ſymptomata pertinet, eodẽ modo quo alij hac ardẽte febri cõflictati, ſe habẽt. quib. uero eadẽ febri laborantib. nullus tumor erũpit, nec ullæ puſtulæ apparẽt, hi plerũq; in maiore uitę periculo uerſant̃. At ex his, qui alui morbis urgent̃, aliq̃s leuitas inteſtinorũ opprimit: multos

eorundem exulceratio: multos inteſtini recti dolor, item ex ulcere natus, maxime uero pueros impuberes. ut autem hi qui bile flaua redundāt, bilioſa excernũt: qui humore ſimili ſero, tenuia & aquoſa, ac utriq; torſionibus dolorũ plenis & uoluulis prauis laborāt modo ſine febri, nũc uero cum febri: tamen excrementa talia, quod multus humor reſtet in corpore, dolores eis nõ exhauriũt: multoq; minus excrementa pinguia ex uiſceribus colliquefactis orta. quod ſymptoma nõ ſeparatur à febribus peſtilentibus. eorum qui medicamenta data ægrè aſſumunt, quiq; purgantibus offendũtur, partim cito pereunt, partim longius uitã ducũt. pleriq; uero omnes, qui de uita decedunt, ſiue morbis acutis, ſiue longis afflictẽtur, alui ęgrotationibus extinguũtur: pleriq; omnes cibũ faſtidiunt. ſed qui ex aluo laborāt ſine febri, ſi humores frigidi, ſeu craſſi ſeu tenues fuerint, quibus abundant, eis nondum putreſcunt, non ſitiunt: ſin putreſcentes incaleſcunt, ſitiunt. qui uero febriunt, intemperantius potione non utuntur, quod eis tam multa quàm illis ſa-

nies

nies in uentriculum non confluat. Quod uero ad urinas pertinet, hac lue conflicta ti plerunq; plures reddunt quàm fuerit potio quam aſſumpſerunt, quòd corpus humoris ſero ſimilis plenum ſit. quæ tamen malæ ſunt: nec enim craſſæ, neq; coctæ, neq; corpus probe purgantes. itaq; ſignificant futurum, ut interiores corporis partes colliquefiant, ut aluus turbetur, ut ægroti doloribus angãtur, ut morbus longus fiat, ut nõ iudicetur. quorum uero urinæ contrario modo ſe habent, qui non ita multi ſunt, oſtendunt eos breui ex morbo euaſuros. At phrenitici maxime ſopore laborant. deinde qui febri ardente uel aliqua alia urgentur. ſed illi per ſe, hi quòd febris calor humores crudos & frigidos, qui redundant in corpore, ferat ad caput. uerum plurimos per totum morbi tempus cõſequitur uel grauis ſopor, quòd frigidus humor craſſus & multus inſit in capite: uel breues ſomni, quòd humor tenuis & putrefactus. Et ſi uero hi, qui febribus aliјs tam intermittentibus quàm continuis laborant, cohorreſcunt, aluus eis etiam turbatur,

urinæ multæ & malæ ſunt, neq; ſudores neq; abſceſſus fiũt decretorij, tamẽ pauci moriuntur: & quidem ex aqua inter cutem. qui nec in latus dextrum uel ſiniſtrum, neque ſupini cubare poſſunt, ſed in culcitra tantummodo reſidere puluinis ad tergum & caput appoſitis. cæteri uero conualeſcunt. ſed febris pleroſq; temere relinquit. perpauci iudicantur, ac ferè circa octogeſimum diem. At tabes plurimos perimit. multi, quos inuadit hyeme, decumbũt. aliqui recti ipſam ſuſtinent. ſed qui decumbũt, pleriq; omnes ante uer pereunt. alios tabes diutius male habet: nã eos tuſſes non relinquũt, quanquam æſtate remittunt. ſed ſub autumnum omnes decũbũt, & multi uitam cum morte cõmutant. eorum autem plurimi his malis afflictantur: eis uox uitiatur: crebro cohorreſcũt: ſæpe febrib. continuis & acutis urgentur: per omne morbi tempus ſudoribus perfundũtur intempeſtiuis, multis, frigidis: multum frigent, & uix rurſus recaleſcunt: aluus ſiccata ex toto ſupprimitur, & uiciſſim humectata celeriter rurſus multa exprimit, & quæ

pulmo-

pulmonē infeſtant deijcit: urinas profundūt multas, malas, pingues propter interiores corporis partes colliquefactas: frequēter tuſſiūt: multa ſputa cocta & liquida excreāt, nec ualde dolent: quòd ſi doluerint, tamē exſcreādo pulmonē admodū leniter expurgant: humor, qui multus deſtillat ex capite, fauces nō mordet, nec enim ſalſus eſt, ſed lentus, albus, liquidus, ſpumoſus. nec hi cibū appetūt, nec potionibus cū cibo aſſumptis delectātur: non enim ſitiunt, & quidem iiſdem de cauſis quas ſupra attuli. corporis tādē grauitas adeſt, quòd uis, quę id ipſum ſuſtinet atq; mouet, emortua ſit. ſoporātur. plurimi tumidiores fiunt & in hydropē delabūtur, inhorreſcunt & delirant iam morituri. pituita autē plenos talis tabes male habet. qui albidi uel ſubrubri exiſtunt, & glabri fiunt, atq; ſcapulæ eis alarum inſtar eminent, maxime uulneribus. iuuenes uero pituitoſi dolorib. inteſtini recti uexantur. atra bile uel ſanguine refertos, febres ardentes, phrenitides, inteſtinorū exulcerationes inuadunt. amara bile plenos lōga alui profluuia, & acria atq; pinguia

excrementa infeſtant. quod uero ad anni tempus pertinet, hyeme ſalubriter agũt omnes hi præter tabe correptos: quanquam etiam ante uer febres ardentes & phrenitides ſolẽt oriri. ſed omnibus grauiſſimũ eſt uer, plurimoſq; perimit: æſtas facillima, & pauciſſimos occidit: autumno, & ſub pleiada rurſus multi mortem obeunt. At in quos peſtilentia, ex ſucci mali cibis, aut ex aquæ corruptæ potione orta, inuaſit, ſi uehemente & praua febri uel alicuius uiſceris inflãmatione laborant, de uita cedunt. pauciſſimi quoq; febrientes ſimul cum exterioribus ulceribus, quibus uis & natura eſt carbunculi uel phagedenæ, ex morbo euadũt: ſed plurimi, etiamſi longius uitam ducãt, intereunt. ex alijs autem ulceribus ſimilitudinem gerentibus ſpeciemq; inflãmationis, uel eryſepelatis, uel ignis ſacri, uel impetiginis, uel ſcabiei uel lepræ, quę mitiſſime ex cute erũpunt, interire non ſolent: ꝙ prauos humores ex uiſceribus & profundo corpore exhauriãt & exinaniãt. in cęteris uero febribus aut aluus deijcit ea quæ male olẽt & inteſtina mordẽt, unde

eorum

eorum exulceratio oritur, uel inanis egerendi uoluntas: aut ueſica reddit urinas acres itemq́ malè olētes, quæ ipſam exulcerāt: aut ſudores ſimiliter malè olidi eas febres iudicāt, aut abſceſſus putridi. Sed de his ſatis. ſequitur trium peſtis generū curatio, in cuiuſq́ autē putredine interdum talis eſt tantaq́ necandi uis, ut nullis medicamētis debilitari poſſit. uerùm primum genus, ut dixi, duplex eſt. febris enim uel ad habitum perducta, uel putrida: quarum hæc interdum curari poteſt, illa nunquā curari poteſt. quā enim medicinam, ut rectè ſcripſit Galenus, inuenies & adhibebis putredini, quę in ipſo corde conſiſtit? etſi uerò hæc peſtis ſanari non poteſt, tamen ad eam medicus ægro, in præceps periculū adducto, medicamentum dare debet, quod initio morbi certus eſſe non poſſit utra febri laboret: atq́ ſi ad habitum perducta, utrum natura putredinem nondum ingraueſcentē de cordis corpore remouere poſſit, necne poſſit. ſex autem præcipuæ ſunt ad hanc peſtem curandam ſignificationes, quas qui uerbum è uerbo Græco exprimunt, indicatio-

cationes nominãt: calor ſcilicet febrilis, qui medicamentis refrigerantibus eſt reſtinguendus: interior humorũ putredo, qui uel concoquendi ſunt, aut euacuandi: halituũ uel uaporũ mordacium & acrium fumo uel fuligini non abſimilium. retentio, quæ relaxanda: uiſcerũ obſtructio, quæ reſeranda humorũ redundantia, qui uel uena inciſa mittendi, uel medicamentis purgantibus ducendi: extranea putredo peſtilẽs, cuius uis antidotis frangenda. ſed inter medicos tãta de eo, quod primo exequendum ſit, diſſenſio eſt, ut etiam in diuerſas curandi uias procedant. nam in initio morbi peſtilentis alij ſanguinem detrahunt: alij humorem in corpore redundantem medicamento purgant: alij dant antidotum. qui principio uenam incidunt, ſanguinis detractionem per eam primo peſtilentia correptis neceſſariam eſſe Galeni uiri, ex arte medica in primis nobilitati, autoritate contendunt. is enim in hanc ſententiam ſcribit: optimum eſt uenam incidere, nõ in continentibus modò febribus, ſed etiam in alijs omnibus ex humorum putredine

tredine ortis: niſi uel ætas uel uirium imbecillitas obſtet. etenim natura, quæ corpus noſtrum regit, leuata, & eo, quo tanquam onere quodam premitur, depoſito, reſiduum facilius deuincet. unde muneris ſui memor id coquet quod coqui poteſt, id excernet quod excerni poteſt. Primo igitur quoq; tempore his, in quos peſtilentia inuaſit, ſanguinẽ mittere conuenit. qui uerò humorem in corpore redundantem primò purgãt medicamẽto, concedunt quidẽ illis ut in cõtinentibus febribus peſtilẽtibus ſanguinẽ detrahãt, in cõtinuis peſtilentibus non cõcedunt: quòd cum tale uenenũ per ſe uires ægroti debilitet, eas ſanguis, quo corpus non abundat, miſſus adeò frangat ut ſanitas eis reſtitui nõ poſſit. humor igitur ſuperfluus à ſanguine diuerſus medicamento pùrgãdus eſt. at qui primo antidotũ dãt, peſtilentẽ febrim continentẽ, uel quanq; continuã, aiunt aliam curationẽ deſiderare, aliam non peſtilentẽ. etenim omnibus cõtinente febri peſtilente laborantibus, niſi eorũ ætas & natura impedimẽto fuerint, ſanguis mittendus eſt, ꝙ omnes

ſanguine abundēt. omnibus etiam febri continua non peſtilente uexatis, ſi uires ferūt, detrahendus, quod corpus onere, quo ingraueſcit, leuatum, ad morbū uincendū fiat promptius & expeditius. ſed peſtilente continente uel continua conflictatis ſanguis primo nō eſt mittendus, quòd uenenum peſtilens paruis momentis, ſi antidotus ipſi non reſtiterit, humores adeò mutare queat, ut homo ad ſanitatem redire non poſſit. quibus etiam his de cauſis aſſentimur, quòd ueteres Græci de iſtius generis peſtis curatione ſcribentes, neq; ſanguinis detrahendi neq; humoris purgandi ullam faciant mentionem, ſed ſolius antidoti: & quòd qui uel ſanguinē mittunt uel medicamento purgant ægrum, prius quàm antidotum dederint, tempus ad peſtilentem putredinē mutandam opportunū, quod breue eſt, prætermittāt, multosq;, ut docet uſus, interimant: & quòd nulla putredo, nedum peſtilens, ſanguinis detractione curari poſſit. itaq; ſiue peſtilens febris ad habitum perducta in hominē inuaſit, ſiue putrida, ſiue multis regionibus communis,

ſiue

ſiue alicuius propria, ſiue paucis diebus necē allatura, ſiue paucis horis, medicus ſtatim (nam mora maius periculū ægro creat) antidotum dabit, quæ putredinis uim frangat. quia enim hæc peſtis ſua putredine, tanquam aliqua beſtia ſuo ueneno homines inficit & interficit. Gręci uiri experientiſſimi nō alia medicamenta, ut ex Galeni ſcriptis intelligi poteſt, dederunt, quàm quę ad uenena dari ſolent: Andromachi uidelicet theriacam, & glebam Armeniam. ſed cùm utraq; medicina peſti totius ſubſtantiæ ui reſiſtat, eius uenenū per arterias in omne corpus diffuſum mutando, theriaca hoc habet peculiare, uiſcerum ora obſtructa reſerare, inuiſibilia cutis foramina impedita expedire, humoris putridi partem ſudore digerere. utriuſq; autem medicamenti ueri & boni tantum, quantum pendet denarius, dare conuenit cum uino & aquæ ſtillaticię roſæ, uel borraginis ſeſquicyatho: ephebis tamen theriacæ denarij bes cum uini & alterius aquæ cyatho ſatis eſt: pueris triens cum ſemicyatho. Sed Arabes bibunt ſcobis ſmaragdi grana octo, Indi

cornu

cornu beſtię unicornis denarij trientem? Turcæ terræ Lemniæ p. I. ✶. Germani quidam ſuccini albi, aliqui cornu ceruini, alij oſſis in corde ceruino reperti, item p. I. ✶. uulgus radicis petaſitæ tantundē. uel ſucci betonicæ hortenſis, uel uerbenæ, uel ſcabioſæ, uel calendulę duos cyathos Romanos. ſed quia medicus prudens nō ſolū quid alij faciant animaduertit, uerumetiam ꝙ recte & utiliter eorum quodq; faciant conſiderat, mauult uti medicinis longinqui tēporis uſu & periclitatione atq; ueterū autoritate cōprobatis: ut quas etiam ipſe uideat peſtilentia conflictatis eſſe ſalutares. medici certe recentiores cùm animaduertiſſent theriacam Andromachi maximā uim habere ad cōceptam peſtem cōprimendam, parū ſuis antidotis conſilii eā pleriſq; omnibus admiſcuerūt. qualis eſt nobilis illa, quæ habet cornu beſtiæ unicornis p. I. ✶. camphoræ p. II. ✶. zinziberis p. III. ✶. radicis dictamni noſtratis, radicis quinquefolij utriuſq; p. IIII. ✶. theriacæ Andromachi p. XIII. ✶. quæ omnia permiſcentur cū ſucco mali citrei, & antidotus ad pondus

dus denarij & uictoriati ex aquæ roſaceę cyatho, & uini dimidio datur. qualis etiã eſt antidotus ex ouo. ea conſtat ex uitello, cum quo tãtus primo crocus, albumine reiecto, permiſcetur, ut oui putamen denuo cõpleri poſſit. deinde tandiu aſſatur, quoad nigreſcat. tum piſtillo cõteritur, & ei admiſcẽtur ſeminis erucæ, radicis quinquefolij, radicis dictãni noſtratis, ſingulorũ p. III. ✝. terræ Lemniæ p. II. ✝. tari, corallij rubri, utriuſq; p. I. ✝. & ℣. nucis quę uomitũ mouet p. I. ✝. cornu beſtię unicornis p. ✝. dextãs. theriacę Andromachi tantum, quantũ uniuerſa pendẽt. ſed hæc antidotus propterea minus probatur, ꝙ croci uis aſſando frangatur, atq; ita neq; crocus neq; uitellus ægrotis prodeſſe poſſit, ſed medicamentarius ex eis lucrũ faciat. uerũ ſi æger antidotum reuomit, ſine mora os eluat aqua, in qua hordeum decoctum ſit, uel, ſi nõ fuerit in promptu, fontana, ac antidotum denuò ſumat. quodcunque autem medicamentum initio morbi biberit, ſi corpus ſua ſponte ſudore madere cœpit, is eliciendus eſt ut ex ipſo corpore euocet humo-

rem

rem putredine corruptum, quem natura antidoto corroborata expellere conat̃: ſin ęgrotus ſpõte ſudore manare nõ cœpit, nihil neceſſe habet deſudare, quòd antidotus humores peſtilẽte putredine corruptos ſine ſudore mutare poſſit: & quòd corpus per ſudorem quẽ ſua ui mouere nõ cœpit, plerunq; imbecillius reddatur. elicitur uerò ſudor, ſi feneſtris ſic clauſis ut perflatus nullus accedat, ægrotus calidis linteis inuolutus in lecto, in quem iniecta ſit culcitra, quodcunq; tomentum in eam fuerit infartum, cubauerit, & ſe ſtragulo uel culcitra plumea contexerit. ſudandum autem eſt horis tribus uel quatuor uel pluribus, prout ipſa morbi natura hoc poſtulat, & ægroti uires ſuſtinere poſſunt. etenim peſtis Anglica, quæ peracuta ſudore finitur, perq; eum non raro ad integritatem uenitur, plures horas requirit. quinetiã ut ſudor, qui denſitate uel humoris uel carnis impeditur, elici poſſit, cũ antidoto, in uini potione diluta, permiſcere oportet ea medicamẽta, quæ ſudorem mouẽtur. quale eſt ſemẽ moueut anisi, ſemen fœniculi, in puluerem con-
tritum

tritum & cum aceto mulſo, quod Græci ὀξύμελι nominant, uel ſaccharino, quod barbari oxyſaccharum, miſtum. ſed quan diu æger ſudat, tandiu nec edat, neq; bibat, neq; dormiat, neq; brachia, manus, crura, pedes nudet, ne frigus inuiſibilia cutis foramina claudẽs ſudorẽ à ſumma cute ad interiores corporis partes reuocet. dein ei miniſter omnẽ linteis tepefactis abſtergat ſudorẽ. tum è lecto ſi poteſt, ſurgat: ſi nõ poteſt, linteis tepefactis paulatim ſingula membra detergat. mox pura in locũ ſudore madidorũ ſupponat. paulò pôſt aluus ſi ſuppreſſa fuerit, ducẽda eſt leui medicina in inteſtinũ rectũ infuſa. qualis eſt capi uel gallinæ uel carnis bubulæ ius bene ſalitũ. cum cuius hemina cyathus tam mellis roſacei q̃ olei amygdalini miſceatur, atq; duo uitelli. Quãprimum aũt in aliqua corporis parte uel tumor, qui fuerit inflammatio ſiue glandularũ, quam Græci βουβῶνα uocant, ſiue aliarum partium, cui præter cõmune nomen aliud non eſt, cum difficultate erumpit, & foras altius non eminet: uel materia, quæ eam partem læſit, intus ſub cute

coit & dolorem facit, ei, qui manu medetur cucurbitulam, niſi ſudor obſtiterit, imponat, aut eam propè tumorem apponat, ut peſtilens putredo maior attrahatur, quàm naturæ uis ex intimo corpore in locum expulit. ſi ſudor obſtiterit, id, cùm ægrotus in lecto deſudarit, ſine mora facere oportet. naturæ enim adiumento eſſe debemus: maximè cùm putredinem in locum accommodatum expellit. ſed ſi æger dolorem perferre poteſt, priuſquam cucurbitula imponatur cutem ſcalpello incidere oportet, ut putridus & peſtilens ſanguis exeat. eadem de cauſa utile eſt non ullis cucurbitulis tumori impoſitis, ſcalpello tantum uel nouacula cutem incidere. uerùm ſi æger dolorem, quem uel ſcalpellum uel nouacula facit, ſuſtinere non poteſt, hirudo ad tumorem admouenda eſt, ut uitioſum ſanguinem exugat. ſi ne hanc quidem ægri uires patiuntur, ad tumorem cucurbitulam ſine ferro accommodare oportet, aut galli iuuenis, qui nondum rebus uenereis uſus ſit, plumulas clunibus detrahere, eoſque clunes nudos & deplumes ad tu-

morem, extrahendi ueneni cauſa, applicare. ſed cùm inflammatio celeriter magnum tumorem facit, tum etiam naturam malagmatis uel emplaſtris, quæ uim habent attrahendi, ἐπισπαστικὰ Græci appellant, adiuuare oportet, id genus malagma ex his conſtat. reſinæ aridæ, nitri, ammoniaci, galbani ſingulorum p. IIII. ✝. ceræ p. III. ✝. emplaſtrum uerò quod ex baccis lauri διὰ δαφνίδων Græcè nominatur. in eo ſunt, ſeui uitulini, ammoniaci, thymiamatis, picis, ceræ, nitri, baccarum lauri, reſidæ aridæ, ariſtolochiæ, pyrethri pares portiones. hoc etiam pus mouet. ſunt qui utantur hoc emplaſtro, quod dolorem ſedat, humorem extrahit, pus maturat. radicis maluæ, radicis althææ, folij maluacei, folij uiolacei, ſingulorum tantum, quantum manu comprehendi poteſt, in aqua decoquatur. mox liquore effuſo herbæ in mortario contundantur. deinde addantur butyri recentis pondere X X I. ✝. pinguedinis gallinaceæ p. X. ✝. & I. ℥. fermenti pondere X X I. ✝. olei roſacei cyathus, atque bene permiſceantur.

alij ſuper tumorē imponunt cepas in ciñere coctas, atq; tūſas. cum quibus quidam permiſcent Andromachi theriacā. Sed de tumoribus nunc ſatis: nam de eorum curatione paulò pòſt dicā. redeo ad ægrotantē, cuius imbecillitati futuræ maturius ſuccurrēdum eſt cibo & potione: quòd, cum uires eum defecerint, uiuere non poſſit. cibus autem ſit ex materia boni ſucci, ut modicus multum. corpori alimentum præbere poſſit. cuiuſmodi eſt iuſculum gallinaceum, aut è carne capi, uel gallinæ, uel phaſiani, uel attagenis, uel gallinæ Numidicæ, uel perdicis cōtuſa factum: & cum rebus acidis, quæ peſtilenti putredini, ne agat uires, reſiſtunt, & calorem febrilem reſtinguunt, permiſtū. quales ſunt ſuccus mali citrei, limonum, mali punici acidi, acinorū criſpinę, omphaciū. ſi nobiles illi ſucci ęgroto defuerint, cum carnibus auium decoquantur oxalis, intybum, portulaca, flores bugloſſi, echij, cirſij: uel ſemina oxalidis, intybi, portulacæ. cōuenit etiam iuſculum ouo miſtum, & aceto pauco temperatū: oua gallinacea præ mollia: panis ex iuſculo coctus,

uel

uel eodem maceratus: carnes pulli gallinacei, turturis, turdi, aliarũq; auicularũ, item hœdi menſtrui, uituli trimeſtris, ueruecis anniculi cum ijſdẽ ſuccis coctæ: pti ſana deniq; cum ijſdẽ permiſta, panis ſit optimus. at potio, qua æger ſitim depellet, non ſit uinũ, ne plures uapores ad caput ferat, & maiorẽ dementiã pariat. nec eadẽ de cauſa ſit ceruiſia, quæ nimis multũ lupi ſalictarij florẽ ſapiat. ſed ſit acetũ ſaccharinũ, aqua ſtillaticia roſæ, oxalidis, intybi, floris bugloſſi, cirſij, echij temperatum: uel aqua, ſimplex ad tertias decocta, uel cũ aceto miſta & modico cinamomo mitigata: uel in qua prius hordeũ, donec hiſcat, ſit decoctũ, poſterius bugloſſi flos & oxalidis ſemen: uel aqua ſtillaticia bugloſſi, aut oxalidis, aut intybi agreſtis, miſta cũ potione ex acido mali citrei ſucco & ſaccharo facta: uel aqua ſtillaticia capi, uel phaſiani, uel attagenis, uel perdicis, uel hœdi: cũ his aũt omnibus aliquid potionis ex acido mali citrei ſucco permiſceri debet. quinetiã ægrotus uti poterit potione quæ habet aquæ ſtillaticiæ oxalidis libram unã, aquæ ſtillaticiæ floris bugloſſi

gloſſi, floris echij, intybi, ſingularũ trien tem, roſaceæ quadrantem, ſucci mali punici ſextantẽ, ſucci limonũ ſeſcuntiam, aceti unciam, ſacchari ſeſquilibram. quæ aquę & ſucci ſint ad tertias decoctę. ſi uerendũ eſt ne ęgrotus deficiat, tum talis & eſca & potio ſæpe quidem tam noctu quàm interdiu, ſed non multa tamẽ, danda eſt, ut illa nutriat, hæc ſitim ſedet, neutra oneret. medicamẽtis præterea peſtilẽtia conflictatus utatur. quale eſt quod ex his cõſtat. ſacchari roſacei, corticis mali citrei ſaccharo cõditi utriuſq; p. x. ✠. & ſemis. ſuccini candidi, corallij rubri, terræ Lemniæ p. I. ✠. potionis ex acido mali citrei ſucco & ſaccharo factæ quantũ ſatis eſt. quod magnitudinem nucis auellanæ impletæger ſpacio inter prandium & cœnam inter medio atque etiam noctu ſæpius deuoret. cordi quoque epithema inijciendum uel unguẽtum illinendum: niſi carbunculus alius'ue tumor ibi conſiſtens impedierit. in epithemate ſint corticum mali citrei, ſandali rubri, ſandali albi, ſuccini candidi, camphoræ, corallij rubri, corallij albi, oſſis in corde cer-

uino

uino reperti, ſcobis eburneæ, zedoariæ, roſæ, croci, ſingulorum p. ✶. ſextans. aquæ ſtillaticiæ roſæ, uiolæ, floris buglosſi, oxalidis, ſingularum libræ triens. res ſiccæ in puluerem contritæ, cum liquidis miſceantur. at in unguento ſunt hęc: ſeminis mali citrei, oſſis in corde ceruino reperti, ſcobis cornu beſtiæ unicornis, ſuccini candidi, ſandali rubri, roſæ, ſingulorum p. ✶. ſextans. olei roſacei, olei uiolacei, utriuſq; ſemuncia. aceti paululum. rurſus res aridæ comminuantur, & cum oleis & aceto permiſceantur. Sed quia æger aerē corrumpit anima, quam à pulmone reſpirat, ne corruptum ſpiritū rurſus in eundem ducat, cubiculum propter putredinem rebus odoratis conſpergatur: propter calorem febrilem refrigerantibus. ad utrunque utilis eſt roſa, uiola, flos iaſmini, flos nymphææ: & eorundem aquæ ſtillaticiæ. ad alterum æſtiuis menſibus etiam aqua fontana aceto temperata, & uitium capreoli, & rami ruborum. quinetiam ad utrunque accommodatum eſt decoctum, quod habet poma, quorum odoratus iucundus eſt, nouem,

in fruſta ſecta.corticis mali citrei,corticis mali arancij,baccæ lauri,baccæ iuniperi, ſingulorũ p.IIII.℥.roſæ manipulos III. uiolæ,floris,nymphææ,utriuſq; manipulos II. folij ocimi, roris marini, lauri,ſingulorum manipulum unũ,decoquuntur in aqua fontana.ſed peſtem curãtes plures cereos accẽſos in altera manu geſtet, eosq; ſæpius ad os admoueãt, ut flamma aeris,ſpiritũ hauriendi, putredinem debiſitet. Quatuor uerò horis poſt cibum aſſumptũ ſi corpus ægrotãtis ſanguine redũdat,is ex inciſa uena mittẽdus eſt: modò uires patiantur, & anni tẽpus aliũdue nõ obſtet.ſi capitis quidẽ aliqua pars uel colli cum dolore intumuit, uena brachij, quæ ex alis nomẽ inuenit, incidenda eſt, uel ea quę ex humeris eſt nominata eiuſdem lateris.quod perpetuũ eſt: ſi alæ,aut pectus, aut alterum latus, aut uenter, aut lumbi, aut dorſum, ea brachij uena quæ ex iecore nomẽ traxit: ſi inguen aut crus, ea quæ eſt iuxta poplites uel talos: ſi uerò tam in ſiniſtri quàm dextri lateris aliqua parte tumor oritur, utrinq; ex uena, quam incidendã eſſe dixi,ſanguis mittendus

155

dus eſt: ſed eius plus ex ea quæ prius inci-
dit, minus ex ea; quæ poſterius. At ſi nul
lus tumor apparet, ex latere, quod dolet,
ſanguis mittendus eſt: atq; rurſus ſi ſupe-
riores partes in dolore ſunt, ea uena bra-
chij incidēda eſt quæ ex alis nomē duxit,
uel quæ ex humeris: ſi intermediæ, ea bra
chij quæ à iecore dicta eſt: ſi inferiores,
rurſus ea quæ eſt iuxta poplites uel talos.
ſi deniq; nulla corporis pars cum dolore
intumuit, nec ulla ſine tumore dolores
habet, uena brachij media. medicus autē
qui ſanguinem mittit, hominis peſtilētia
correpti uires, quas ipſa debilitat, æſtima-
re debet, eumq; ſemper ante ſupprimere
quàm anima deficiat. ſi uero propter an-
nos, aut conceptionem, aut corporis iam
inde ab ortu imbecillitatē, aut animi de-
fectionem, aut cibi faſtidium, quod ple-
runq; peſtilentes febres comitatur, aut al
ui fluxū, aut aerem æſtate nimis ualde ca-
lidum, hyeme perfrigidum, aut aliud ue-
na incidenda non erit, cōciſa antè ſcalpel
lo cute uel dorſi uel humeri, uel natis, uel
cruris, cucurbitula ei eſt accōmodāda &
ſanguis extrahendus. uerum ſi poſt ſan-

guinis detractionē ægroto timemus, ab humoribus cōmotis ne ad caput ferantur & mentem turbent, ei dabimus potionis ex ſucco oxalidis & ſaccharo factæ unciam, potionis ex ſucco roſæ & ſaccharo confectæ ſemiunciam, aquæ ſtillaticiæ oxalidis, uiolæ, floris bugloſſi, ſingularum unciam. Cum uero corpus ſanguine non redundat, ſed humoribus peſtilēte putredine corruptis & aduſtis, ex quibus atra bilis iam orta ſit, & adhuc oriatur, aut quando cum inflāmatione miſta eſt flaua bilis uel humor melancholicus uel pituita, proximo die purgandus eſt ęger, ſi uires habet, ſi crebris aut uomitionibus aut deiectionibus non infeſtatur, ſi morbus urget. &ſi enim carbunculi, quorum atra bilis effectrix eſt, in corpore nati ſunt, aut inflāmationes miſtæ, tamen, quia natura humores agitat; ante concoctionem euacuādi ſunt: præſertim cum Andromachi theriaca uel aſſimilis antidotus craſſos iam attenuarit, & uiſcerum obſtructiones reſerauerit. purgantibus autem medicamentis omnibus admiſcere oportet ea quæ peſtilenti putre-

dini

dini aduerſantur. quanquam enim antidotus, ſi ualuit, uim putredinis uiroſæ fregit, tamen eius etiam reliquiæ, ſi quæ remanſerunt, atq; peſtilentis aeris ſemina denuo hauſta mutari debent, admiſcere præterea oportet medicamenta, quæ calorem tam purgantis medicinæ, quàm febris reſtinguant. itaq; bilis flaua ducatur potione quæ habet floris bugloſſi, cirſij, uiolæ, ſingulorum p. V. ✣. ſeminis lactucæ, portulacæ, cucumeris, ſingulorum p. II. ✣. ſcordij, lactucæ, lichenis, qui petris adnaſcitur, ſingulorum manipulum dimidium. ſucci acaciæ, Indicæ, tamarindos Mauri uocant, p. III. ✣. Zyzipha, mixa, utrorũq; numero X. pruna numero XV. ex aquæ fontanæ ſextario decoquuntur ad dimidias. in iſtiuſmodi decocti colati cyathis duobus ſiliquę Indicę, quam caſſiam Mauri nominant. p. VII. ✣ diluuntur, & additur potionis, quæ ex acido mali citrei ſucco & ſaccharo conſtat, ſemicyathus. atq; rhabarbari dilutum. id hoc modo fit. rhabarbari ſelecti p. I. ✣ & ſpicæ nardi Indicæ p. ✣ ſextans: ſecantur in minutas particulas & horis decem macerantur

cerantur in aquæ ſtillaticię intybi horten ſis ſeſquicyatho. tum per linteum exprimuntur. at melãcholicum humorem ducit potio, quæ habet floris bugloſſi, cirſij, uiolæ, epithymi, ſingulorum p. III. ✝. ſcordij, intybi hortenſis, chamædryos, aſplenij, eupatorij, ſingulorũ manipulum dimidium. ſeminis intybi hortenſis, portulacæ, aniſi, feniculi, petroſelini, apij, ſingulorum p. II. ✝ & ſextantem. polypodij quercini p. II. ✝ folliculorum ſenæ p. I. ✝ pruna numero X V. ex aquæ fontanæ ſextario decoquuntur ad tertias. in huius decocti colati cyathis duobus macerantur duodecim horis myrabolanorum Indarum contritarum p. V I. ✝ &. I. ℈. deinde per linteũ exprimuntur, & in eo decocto diluitur eclegmatis è ſena p. I. ✝. Sed in potione, quæ pituitam ducit, hæc inſunt, floris bugloſſi, cirſij, uiolæ, ſingulorum p. III. ✝ ſcordij & intybi hortenſis, utriuſq; manipulus dimidius. radicis tripolij, hanc enim quidã Arabicum turbithum eſſe putant, p. I. ✝ zinziberis p. I. ℈. radicis apij, petroſelini, feniculi p. III. ✝ & I. ℈. pruna numero V I. ex aquæ fon

tanæ

tanæ ſextario decoquũtur ad tertias. deinde in huius decocti per linteũ expreſſi cyathis duobus maceratur decem horis agarici in paſtulos redacti p. I. ✶ & ℈. tũ in eodem percolato ſiliquę Indicę p. VII ✶ diluuntur. Verũ atra bilis purgatur potione, quę habet floris bugloſſi, cirſij, uiolę, ſingulorũ p. III ✶. ſcordij, intybi hortenſis, fumiterræ, ſingulorum manipulũ. ex aquæ fontanæ hemina decoquuntur ad dimidias. ſi atra bilis ex flaua aduſta oritur, in huius decocti colati reſiduo duodecim horis macerantur myrabolanorũ Indarum contritarum p. IIII. ✶ citrinarũ contritarum p. III. ✶ deinde per linteum exprimuntur, inq; eo decocto diluuntur ſiliquę Indicę p. III. ✶ eclegmatis Hamechi p. I. ✶ & ℈. medicinæ Perſarum delicatæ, quæ τρυφερὰ Græco nomine apud Arabes uocatur, p. II. ✶: ſui oritur ex humore melancholico, in eiuſdem decocti reſiduo duodecim horis macerantur myrabolanorum Indarum contritarũ p. VI. ✶: tum in eodem per linteum expreſſo diluitur eclegmatis Hamechi, medicinæ Perſarum delicatæ ſingulorũ p. I. ✶ & ℈.

ſin oritur ex pituita, in eiuſdẽ decocti reſi duo totidẽ horis macerantur myrabolanorũ Indarũ contritarum p. IIII. ✝. chebularum contritarum p. III. ✝ deinde in eodẽ per linteũ expreſſo diluitur eclegmatis Hamechi, & medicinę Perſarũ delicatæ, utriuſq; p. I. ✝ & ✝. agarici in paſtillos redacti p. I. ✝. Poſt hęc ęger quotidie mane duabus horis ante prãdiũ, & pomeridiano totidem ante cœnã bibat potionem aliquam quæ aut humorum putredinem urinam mouendo uel ſudorem ciendo euacuet: quale eſt acetũ ſuccharinum uel mulſum cum aqua, in qua radicis apij portio eſt decocta, permiſtum: aut peſtilenti putredini reſiſtit, aut calorem febrilem reſtinguit, aut utrunq; efficit. qualis eſt potio, quæ ex mali citrei, uel limonũ, uel baccarum oxyacanthæ, ſucco & ſaccharo conſtat, aut roſacea: cum unius autem alicuius de his ſeſcuncia, ſucci mali punici uel aquæ ſtillaticiæ, aut oxalidis, aut roſæ quadrans permiſceatur. uerũ medicus animum non modo ad morbũ, cui contraria remedia ſunt adhibenda, referre debet, ſed etiam conſiderare res, quæ

 158

remediorum modum definiũt.cuiuſmodi ſunt ægri temperies, regio, anni tempus, cœli ſtatus, ætas, ſexus, ars, conſuetudo. poſt aliquot dies ſi humor quiſpiam adhuc in corpore redũdat, rurſus eſt medicamento purgandus: idq; toties faciendum, quoties hoc res poſtulat. Sed ut reuertar ad tumores cùm ſimplex inflãmatio fuerit: quid in eius initio faciendũ ſit dixi: nunc quid faciendum ſi miſta fuerit dicam. primum autem ſi peſtilens tumor eſt inflãmatio particeps tumoris albidi, & laxi, curationem non mutat: ſi uero eryſipelatis, medicamenta calefaciẽtia refrigerantibus, temperãda ſunt, ut hęc calorem, qui uehementem efficit dolorem reſtinguant: illa peſtilens uenenum attrahant & pus maturent. quales ſunt paſtilli qui habent ſulfuris ignem nõ experti & puri, quod Puteolani uirgineum nominãt, guttæ ammoniaci, croci, ſingulorũ p. IIII. ✝ folij rutæ p. II. ✝. hæc ſucco ſolani excepta in paſtillos formantur. qui cùm uſus poſtulat, in paſſo diluuntur & tumori inunguntur. ſin inflammatio particeps eſt ſcirri, cum his medicamentis quæ pe-

ſtilentem

ſtilentem putredinem attrahunt mollientia ſunt miſcenda. quale eſt emplaſtrum quod habet radicis althææ p. XXVIII. ✣. radicis maluæ p. XIIII. ✣ ceparum p. XXVIII. ✣. radices in aqua, cepæ in cinere coquuntur. deinde ſimul in mortario contunduntur. tũ adduntur fermenti. p. XXXV. ✣. adipis ſuillæ p. LV. ✣ poſtea decocti radicis althææ & maluæ cyathi duo affunduntur. poſtremo ſtercoris columbini p. XLII. ✣ croci p. III. ✣ adijciũtur. Cùm autem inflãmationis qualiſcunq; pus maturatum fuerit, quod ex his cognoſcitur, dolor pulſans remiſit, pus intus in tumore fluctuat, idem eodẽ digitis depreſſo huc & illuc cedit, tũ ſcalpello ſic late incidẽda eſt, ut ſanguis & ſanies & pus exire ualeant: ſic prouide, ut neq; neruus, neq; tẽdo, neq; arteria, neq; uena lædatur aut diſſecet. ſanguinis quidem modica cum ſanie uel pure fluxio ſalutaris eſt, eius profuſio pernicioſa. quare ſupprimendus eſt. ſupprimitur uero emplaſtro quod cõſtat ex paribus aloes & thuris portionibus oui albumine exceptis: atque pilis leporinis qui eis immiſcentur.

ſcentur. cum ſanguis amplius non erum pit, emplaſtrum aufferri & unguentum, quod pro ſanie pus gignit, imponi debet. quale eſt quod habet reſinæ laricinæ tres portiones, uitelli unam, olei roſacei quantum ſatis eſt. cùm pus quod craſſum, quod albidum, quod leue, quod æquale eſt, quod nihil olet, generatum fuerit, tum ulcus purgandum eſt. quod faciunt tincta in melle, cum ſucco apij permiſto, linimenta, ſuperq; ea inijciendum enneapharmacū emplaſtrum, uel id quod paria pondera reſinæ laricinæ liquidæ & mellis roſacei habet, atque farinæ hordeaceæ quantum ſatis eſt. ubi ulcus purgatum fuerit, rubet, nimium neque ſiccum neque humidum eſt, ſenſu caret. tale, quia pleruncq; cauum eſt, impleatur carne. ad hoc proficit tetrapharmacum cum roſa: uel hoc unguentum. reſinæ laricinæ liquidæ, mellis roſacei, utriuſque p. XIIII. ✱. farinæ hordeaceæ, thuris, ſarcocollæ, myrrhæ, ſingulorum p. III. ✱ Quoniam uero ſæpe rubor ex inflammatione natus, uel pallor ex eryſipelate, uel plurima puſtula ex ſacro igne,

i ulcus

ulcus ambit, & curationem impedit: atq; etiam intus in ipſo ulcere nigror ex ſphacelo, iſtis etiam malis prouidere oportet, rubor, pallor, puſtulæ inungantur oleo roſaceo cũ gleba Armenia permiſto: uel eis illinatur hæc miſtura, quæ conſtat ex aqua ſtillaticia nympheę cum eadem gleba decocta, ut bene miſceantur, & per linteum expreſſa, ut eius craſſamentum aufferri poſſit: uel ungantur unguento roſaceo Priſcillianiſtæ. id habet adipem ſuillam nonies aquis calidis, & ad extremum ſemel frigidis lauatam, atque par roſæ rubræ recentis pondus. in mortario permiſcentur, & ſeptem diebus in loco calido reponuntur, ut roſa adipe maceretur. deinde leni igni coquuntur, & per linteum exprimũtur, tum ſi miſtura complet heminam affunduntur ſucci roſacei tres cyathi, olei amygdalini tres ſextarij, & decoquuntur uſq; ad eum finem dum ignis ſuccum & oleum cõſumat. ſed plerunq; ſatius eſt præſens ſcarificationis auxilium, quod malum ſanguinem elicit, experiri, quàm alicuius unguenti. Verùm ſi intus in ipſo ulcere nigricies eſt.

quæ nõdum ſerpit, imponendum eſt unguentum quod carnem putrem leuius exedit. qualis eſt miſtura quæ habet unguenti baſilici portiones duas, Aegyptiaci unam. ſin ea nigricies ſerpit, imponendum eſt unguentum quod carnem uehementius erodere poſſit. eſt quædam cuiuſmodi miſtura quæ cõſtat ex unguenti Aegyptiaci portionibus duabus, baſilici una. ſi ne hæc quidem euincit carnem putrem, adurenda eſt, & ſuperponendũ recens butyrum, ut cruſtas à uino reſoluat. ulcus nouatum & bene repurgatũ ut cętera implẽdum: atq; cùm fuerit impletũ, ei cicatrix inducenda. At ſi carbunculus cum modica inflãmatione cõiunctus eſt, conuenit emplaſtrũ in quo ſunt fermenti p. XXI. ✛. adipis gallinaceæ p. XIIII. ✛. ſacchari puri p. III. ✛ & I. ℈. croci p. ✛ triens. uitelli duo. olei roſacei paululum. ſi carbunculus cum inflammatione non eſt permiſtus, ſed in eius medio natus, ut duo ſint diuerſi tumores, utriq; peculiare emplaſtrũ eſt ſuperponẽdum: carbunculo quidem, quòd bilis craſſa & aduſta eius ſit effectrix, minus calidum ne ma-

gis aduratur. ſed ſi carbunculus ſeparatim oritur, cutis, quæ eum ambit, non tamen proxime, eſt ungenda unguento roſaceo Priſcillianiſtæ cum gleba Armenia miſto. ſuper ipſum uero ſæpius imponendum triticum quod homo ſanus & ieiunus dentibus contriuit, & ſaliua macerauit. ſedat enim dolorem, pus maturat, carbunculum ſerpere non ſinit. aut ſuper ipſum imponi debet emplaſtrum, in quo ſunt ficus aridæ p. X X I. ✠. farinæ tritici, feni græci, ſeminis lini, ſingulorum p. ✠ ✠ & I. ℣. ſinapis p. I I I. ✠ & I. ℣. mellis roſacei & decocti maluacei quantum ſatis eſt, aut quod habet pares portiones fermenti, guttæ ammoniaci, reſinæ Laricinæ, mellis roſacei. aut quod habet item pares portiones, ſed fermenti, adipis gallinaceæ, ſacchari puri, farinæ hordeaceę, mellis uero roſacei quãtum ſatis eſt. cùm carbunculus maturatus & ruptus fuerit, eo, quo dixi, modo purgandus eſt, implendus ad cicatricem perducendus. Si uero carbunculus tam malus eſt, ut maturari non poſſit, ferro ſcarificandus eſt, ut corruptus ſanguis exeat. dein aduren-

dus

dus eſt,non ferro candente, non oleo fer uente,ne animi defectio ſubſequatur,ſed medicamentis erodentibus: cum quibus quæ maturant permiſcenda ſunt. cuiuſmodi eſt emplaſtrum in quo ſunt ficus aridæ,fermenti utriuſque p. X X I. ✱. ſinapis p. X. ✱ & I. ∀.ſalis foſſilis, ariſtolochiæ longæ,utriuſque p. V I I. ✱. tritici hominis ſaliua macerati p. X I I I I. ✱. mellis quantum ſatis eſt. eiuſdem generis eſt emplaſtrum quod habet reſinæ Laricinæ,nitri, auripigmenti pares portiones. hoc præterea Iacobi Ritij Venetijs hanc peſtem curantis, quod etiam, ſicuti ſcribit Nicolaus Maſſa Venetus,facit ut malum conſiſtat, & undiq; caro putris à uiua ſeparetur: conſtat autem ex his. theriacæ Andromachi, theriacæ Mithridatis, ſaponis ſarracenici,ſingulorum p. I I I. ✱ & I. ∀.reſinæ Laricinæ, butyri recentis, fermenti,ſingulorum p. X I I I I. ✱.mellis roſacei p. X. ✱ & I. ∀. ſalis foſſilis p. V I I. ✱.fuliginis p. X V I I. ✱ & I. ∀. croci p. I I I. ✱ uitelli. I I I I. cùm caro putris à uiua fuerit ſeparata,ulceri butyrum, cũ ſaccharo permiſtum, eſt illinendum, ut mol

liendo & abſtergendo cruſtas à uiua carne diducat. tũ ulcus rurſus carne impleatur, & ei circatrix inducatur. At interiores huius primi peſtilẽtiæ generis inflammationes quanquam perraro curantur, ſed pleruuq; hominem interimũt, tamen de earum etiam curatione, dicã ſed paucis, quod non longe ſit ab inflammationum non peſtilentium curatione diuerſa. quæ res in cauſa eſt cur ueteres minus multa de peſtis curatione ſcripſerunt. cùm æger phrenitidi infeſtatur, poſtquã bibit antidotum ſi uires habet, ſanguis è uena brachij, quæ ex humeris nomen inuenit, inciſa mittendus: deinde, ſi res hoc poſtulat, è recta frontis. ſi uires ſanguinis detractionem per uenas non ſuſtinent, cucurbitulæ, cute prius ferro conciſa, imprimantur occipitio & ſpinæ: tum medicamentum, quod aluum ducit, in rectum inteſtinum infundatur. ſed capitis partem, quæ inflammatione laborat, primo ad cutem tondere oportet: dein exyrhodino tepido irrigare: poſtremo decocto uerbenæ & chamæmeli fouere: atque rutam ex aceto contritam naribus illinire,

illinire, ut hoc modo humor cerebro nociuus elici poſſit, illo id quod reſiduum eſt per caluariæ ſuturas digeri. At cùm angina ægri fauces occupat, Andromachi theriacam, aqua ſtillaticia roſæ & oxalidis dilutam, quamprimum ſorbere debet, ut uenenum immutet: & eandem uel Mithridatis ex iiſdem aquis gargarizare, ut humorem putridum partim reprimat & in exteriores gutturis partes pellat, partim diſcutiat. mox modicus ſanguis ex eiuſdem lateris brachio mittendus, eaq; detractio proxima ſequēte die iteranda. quinetiam, ſi morbus nō remittit, uenas, quæ ſub lingua ſunt, incidere oportet, ſi uires ſanguinis detractionem per uenas non patiuntur, cucurbitula ceruici, cute antè ſcalpello conciſa, ſæpius eſt admouenda: aluus acriori medicamento, in rectum inteſtinum infuſo, ducenda: ſaccharum optimum in ore uerſandum. At cum iecur inflammatione laborat, ſanguis corruptus quàm primum è dextri brachij uena, quæ ex iecore nomen accepit, mittendus eſt, mox aluus leui medicamento, item in rectum

inteſtinum infuſo, eluenda altera die cu-
curbitulæ parti male affectæ, prius ferro
ſcarificatæ, ſunt admouendę. quod etiam
faciendum tertia. eandem partem poſt-
ea duabus olei maſtichini partibus, una
roſacei fouere conuenit. ſi inflammatio
diſſipari non poteſt, ſed ad ſuppuratio-
nem tendit, dolores augentur. tunc ue-
ro emplaſtrum, quod pus mouet, inij-
cere oportet. quale eſt quod habet floris
chamæmeli, folij althææ, folij maluæ, ſin-
gulorum manipulum. radicis althææ p.
V I I. ✝. radicis maluæ, radicis albi li-
lij, utriuſque p. I I I I. ✝. ſeminis lini, ſe-
minis feni Græci, utriuſque p. I I I. ✝. ca-
ricas numero ſeptem. cum pus matura
tum eſt, dolores minuuntur. mox ut tu-
mor rumpi poſſit, dari debet aqua ſtil-
laticia agrimoniæ, aqua oxalidis tempe-
rata & permiſta cum potione ex ſucco
mali citrei & ſaccharo facta. cibus ſit pti-
ſanæ cremor. qui cùm ex hordeo confi-
citur, apium cum ipſo coquatur. potio
ſit aqua, in qua hordeum eſt decoctum,
miſta cum aceto ſaccharino.

De tumorum curatione ſatis: nun

abeo ad ſymptomata. quibus quæ adhibentur medicinæ nec ipſæ ſunt admodum diſſimiles medicinis, quæ ſimilibus ſymptomatis non peſtilentibus adhibentur. capitis quidem dolorem oxyrhodinum mitigat, ut etiam ad eundem in alijs febribus eſt remediũ. eum quoq; minuit oleum acerbum. item ſuccus roſæ, uiolæ, lactucæ, uel earundem aqua ſtillaticia cũ dimidia aceti parte permiſta. Sed in uigilia, quę tanta eſt, ut ſomnus neque noctu neq; interdiu accedat, quia ęgri uires cõuellit, maturius aliquid auxilij afferendũ eſt. ad quam rem, ſi peſtilentes & febriles uapores, qui calefecerunt & exiccarunt cerebrũ, ipſam uigiliam cõcitarunt, medicinæ, quæ refrigerando ſomnum alliciũt, efficaces ſunt. qualis ſomnifera uis ineſt lactucę, papaueri, appollinari herbę, mãdragoræ, ſolano ſoporifero, dorycnio, nymphææ, earum uerò uarius eſt & multiplex uſus. etenim flos papaueris, apollinaris herbæ, dorycnij, nymphææ, ſimul cum uiola & roſa in ſindone rubra incluſus ſępius ad ęgri nares admouetur, ut odor per eas ad cerebrum ſublatus ſomnũ

edium faciat. ſic etiam halitus eorundem florũ, ex ſtillaticijs aquis lactucæ & nymphææ coctorum, naribus exceptus ſomnum gignit. eundem lactuca comeſa & ſuccus papaueris potus concitant, is ex ſicco ſemine, aqua calida, cùm tunditur, affuſa, exprimitur. bibitur autem ſolus uel cum aliquo iuſculo tepido. eiuſdẽ ſomni cauſa potio medica ex papauere facta bibitur ex aqua ſtillaticia lactucæ, nymphæę, uiolæ. illius eſſe debet ſeſcuncia, harũ ſingularum uncia. folijs præterea tam nymphææ quàm æſtiuæ lactucæ, cuius cauliculus iam lacte repletus eſt, totũ ægri caput tonſis prius capillis contegere oportet, & ne decidant reticuli ſuper ipſa impoſiti cõplexu coercere. ſi hęc ſomno parum cõtulerint, iterũ capillis prius tonſis ſuturam, quę per uerticẽ ad aures tendit, oleo ex nymphæa inungere cõuenit, & ſuper eandem ſuturã inijcere emplaſtrũ, quod habet ſucci lactucæ libram, ſucci nymphæę, ſucci maioris ſedi, ſucci portulacæ, ſingulorũ ſelibram, ſucci roſæ, farinæ hordei utriuſq; quadrantẽ, ſeminis papaueris ſatiui ſextantẽ, herbæ apollinaris un-

unciam, aceti ſeſcūciam. quoties hoc emplaſtrum linteo illitum renouatur, renouetur autem ſæpius, toties antea oleū ex nymphæa ſuturę illinatur. ſi ſucci nō fuerint in promptu, fiat emplaſtrum in quo ſint ſeminis papaueris albi, ſeminis papaueris nigri, herbæ apollinaris, lactucæ, radicis mandragoræ, uiolæ, ſingulorum p. III. ✝. olei uiolacei, olei ex nymphæa, lactis muliebris, ſingulorum ſemuncia, oui albumen. frons inſuper, tempora, nares ungantur unguēto è populi gemmis nominato, & oleo ex nymphæa. illius ſint duæ portiones, huius una. ſi ad ſomnum faciendum ſatis efficax non fuerit, cum eo ſucci papaueris Thebaici grana decem ſunt permiſcenda: uel ijſdem illinatur unguentum quod habet caſiæ, croci, ſucci papaueris Thebaici pares portiones, olei roſacei quantū ſatis eſt. ſi ægro nimiā metuimus refrigerationē, ſuccis & aquis ſtillaticijs quas bibit, aquā apiaſtri modicā, oleis oleum anethinū debemus admiſcere. quæ quanꝙ calefaciunt, tamē etiam ipſa ſomnum alliciunt: apiaſtrum præterea ad cor admotū eius uires corroborat.

borat. Sed quoniam ob eoſdem uapores peſtilentes & febriles, uigiliam, ut dixi, non rarò comitatur dementia, cùm ægrum uidemus deſipere & aliena loqui, conuenit brachia & crura perfricare: cucurbitulas dorſo, humeris, natibus imponere: unam aliquã ex his medicis potionibus, quæ peſtilenti putredini aduerſantur, & calorem febrilem reſtinguunt unà cum aquis quæ eaſdem uires habent, ſæpius dare, ut uapores mitigẽt: os crebrius eluere & gargarizare aqua fontana, uel his ſtillaticijs quæ refrigerant, aut humectant, aut utrũq; facere poſſint. cuiuſmodi ſunt aqua nymphææ, oxalidis, intybi ſatiui, cichorij, uiolæ, aqua in qua hordeũ eſt decoctum, aceto modico temperata. quæ etiam calidum guttur refrigerãt: aridum palatum & linguã humectant, atq; ſic ſitim depellunt. cuius ſitis cauſa etiam tales aquæ permiſtæ cum paſtillis è camphora Priſcillianiſtæ, cum ſucco mali punici, cum ſucco limonis, cum omphacio, cum ſucco uiolaceo diutius in ore continentur: ut iuſculum quoq; prunorum, aqua in qua hordeum eſt decoctum, aqua

frigi-

frigida. in ore item continentur ſacculus muco pomi,uel pyri,uel mali cotonei repletus: ſed ſubinde alius atq; alius ex aqua frigida,in qua repoſiti ſint,extractus & linguæ ingeſtus. uerſantur inſuper in ore pruna Vngarica, ceraſa acida,fruſtũ peponis,cucumeris,cucurbitę,foliũ ęſtiuæ lactucæ. linguæ uerò & palato illinitur pſyllij mucus, qui cõcreſcit cum id aqua maceratur. bibuntur etiam eędem aquæ ſtillaticiæ cum aliqua potione quæ refrigerat: qualis eſt quæ conſtat ex ſaccharo & ſucco uel mali punici,uel mali citrei, uel limonis, uel oxalidis, uel uiolæ. At linguam aridam,ſcabram,febris ardore denigratã primo eluere oportet aqua, in qua hordeum eſt decoctum,cum octaua potionis acidæ, dulci ſacchari ſucco mitigatæ, permiſta. deinde penicillo detergere. tũ oleo roſaceo, æqua mellis roſacei potione temperato,ungere. Cibi autem faſtidio,ex calore febrili orto, neceſſariæ ſunt potiones refrigerantes ſæpius cõmemoratæ: ex humore putrido, uomitus. qui etiam nauſeæ,& animę defectioni,& ſibi ipſe prodeſt. æger uerò aſſumat

aquam

aquã tepidam uel ſolam uel cum potio-
ne ex aceto & ſaccharo facta miſtã: atq;
digitis linguæ prope fauces impoſitis uo
mitum cõcitet. ſin id ægri uires, quas uo-
mitio debilitat, non patiuntur, uel idem
tenſione præcordiorũ uexatur, in inteſti-
num rectum infundenda ſunt ea quæ al-
uum ducunt: crura perfricanda: cucurbi-
tulæ ſine ferro coxis imponendæ: danda
medica potio ex acido mali citrei uel pu
nici ſucco & ſaccharo facta. nã utraq; pu
tridis humorib. reſiſtit, utraq; calidos re-
frigerat. Sed cordis angori ſuccurrunt ea
quæ uim ueneni frangũt, & ipſum corro
borant: pectoris ardori, quæ febrilem pe
ſtilentis humoris calorẽ reſtinguũt. qua-
lia uerò ſint, ſuprà dictũ eſt. Aluus uerò,
quæ uehementius fluit, uſq; dũ uires con
ſeruãtur, ſupprimenda nõ eſt, ne peſtilen
tes humores retenti grauius periculũ effi
ciant. at ſi crebræ deiectiones uires con-
ſumũt, ne ſint exitio, modicè ſiſtenda eſt.
quod fiet ſaccharo roſaceo, & ſucco mali
cotonei ſaccharo condito. Simili modo
ſanguinis è narib. profuſio, qua peſtilens
febris nõ iudicatur, ſed ęgri uires frangũ-
tur,

tur,retinenda eſt.quod ut fieri poſſit,cucurbitulæ ſine ferro prçcordijs aptentur. ęger ueſcatᷓ malis cotoneis &pyris:bibat aquã,in qua ſemina rhois obſoniorũ ſint decocta,& candẽs ferri acies reſtincta.bibat medicã potionẽ ex baccis myrti, uel è roſa & ſaccharo factã,atq; cũ aqua ſtillaticia plantaginis,equiſeti,portulacę permiſtã.paſtillus etiã ex ſuccino,uel ex terra Lemnia nominatus, una aliqua ex his aquis diluatᷓ,& potui detur. frõti uerò imponatur lana ſuccida,cui illitũ ſit medicamentũ quod habet pares portiões hæmatitę,ſanguinis draconis,glebę Armenię, oui albumine & aqua roſacea atq; modico aceto exceptas.ex ijſdẽ ſine aceto fiãt errhina, & nari, ex qua profluit ſanguis, indantur. Poſtremo qui ex hac grauiſſima febri peſtilẽte recreati ſunt, ne in eandem recidant, his uti debẽt, quibus præcepta data de ualetudine, cùm iſte morbus ingruit in homines, tuenda, iubent uti : ab his cauere, à quibus eadem cauere iubent. etenim omnis recidiua febris plerunque grauior eſt,eiuſq; curatio magis periculoſa & anceps, quòd uires

priore morbo ſint debilitatæ. Hacte-
nus de curatione peſtis primi generis:ſe-
quitur nunc alterius curatio.ei non opus
eſt antidotis,quòd intemperies aeris diu
turna nõ ſit,ut aer peſtilens extranea pu-
tredo, quæ in pulmonẽ ducta ſubito cor
dis aut corpus aut humores corrumpat,
& homines interimat.ſed hoc malum ut
ſua intẽperie tardius corporis humores
putrefacit,ita qui euadunt ex morbo, ple
runq; tardius euadunt atq; curantur. ad
hanc alteram peſtem curandam,ut ad cæ
teras febres continuas non peſtilentes,
quinq; ſunt ſignificationes: calor ſcilicet
febrilis,interior putredo, halituũ uel ua-
porum,quos corpus per inuiſibilia cutis
foramina expirat retentio, uiſcerum ob-
ſtructio, humorũ redundantia. qua de re
quamprimũ talis febris ardens eſt orta,
ſanguis,ſi corpus eo abundat, & ætas ac
uires ſinunt,mitti debet: ſi non abundat,
quiſq; humor quo corpus ſuperfluit,me-
dicamento quod eum ducit, purgandus
eſt. quale uerò quodq; ſit, ſuprà dixi. ſed
cùm uarij humores redundant in corpo
re,in primis medicina Perſarum delicata

danda eſt: eos enim purgat, & ſanguinē purum reddit. uerùm quia plerunq; humor ſero ſimilis ſubit, ſi is eſt ducendus, prodeſt medicina quæ habet floris bugloſſi, uiolæ, roſæ, ſingulorū p. III. ✢. corticis mali citrei, capilli Veneris, ſingulorū p. II. ✢. radicis tripolij p. I. ✢. zinziberis p. ✢. trientem. pruna numero decem. ex aquæ fontanæ ſextario decoquuntur ad tertias. in huius decocti colati cyathis duobus, macerātur duodecim horis myrabolani chebulæ emblicę, belliricæ contritæ, ſingularum p. III. ✢. deinde per linteum exprimuntur. tum eodem decocto diluitur medicina quæ bilem flauam uel atram, uel pituitā, ſimul cum humore ſero ſimili redundantem in corpore, ducit. poſtremo additur medicæ potionis ex acido mali citrei ſucco & ſaccharo factæ cyathus dimidius. Poſt ſanguinis detractionem uel humoris ductionē uiſcerū obſtructio reſeranda eſt, atq; halituū uel uaporum retentio relaxanda. libro ſecundo medicamenta recenſui multa quæ utrūq; efficere poſſunt. ſed cùm ea omnia

calida ſint, & propterea febrim augeant, æger ſumat acetũ uel ſaccharinũ, uel mulſum cum aqua ſtillaticia cichorij permiſtum. hæc enim ambo ſuccos craſſos incidunt, lentos detergunt: alterũ pręterea calorē febrilem reſtinguit, alterũ eum nõ auget. Mox humorũ putredo ſanãda eſt. ſanatur uerò cùm humor, qui ſic corruptus & exuſtus eſt ut cõcoqui nõ poſſit, euacuatur: qui adhuc ita ſe habet, ut concoqui & ad temperiē reduci poſſit, cõcoquitur. euacuatur autē corruptus medicamentis, quę uel urinã mouent, uel aluum deijciunt, uel uomitũ concitant, uel ſudorem faciunt. ad quas res perficiendas idoneus eſt ptiſanę cremor, aqua, in qua prius hordeũ, deinde ſaccharũ eſt coctũ, aqua mulſa. quæ tria corporis etiã alimenta ſunt. acetũ ſaccharinũ, acetũ mulſum, apomeli, aqua, in qua radicis apij portio eſt decocta. quę quatuor eiuſdē ſunt medicamēta. ſi aluus his ſumptis nihil excernit, in inteſtinũ rectum infundendum eſt aqua mulſa cum oleo. concoquitur uerò humor, & ad temperiē reducitur interioribus

ribus corporis motib. moderatis & per-ſpiratione libera. nam hæc extraneum & non naturalem calorẽ,qui putredinis effector eſt,refrigerat: illi ſuperfluos humores, qui eiuſdẽ materia ſunt, excernũt, & reliquos corpori neceſſarios ad corruptionẽ minus aptos reddunt. potiones aũt, quæ & uiſcerum obſtructionẽ,naturales motus impedientẽ,reſerant, & halituum atq; uaporum retẽtionem, perſpirationi obſtantem, relaxant, iam cõmemoraui.

Tum uerò medicæ potiones, quæ febrilem calorẽ refrigerant & ſiccitatẽ humectant, quæq; putredini reſiſtunt,dandæ.quales autẽ ſint, ſatis explicaui: ſicut etiam cibos & potiones quas æger aſſumere debet. Sed ſymptomata,quæ interdum curationẽ ad ſe uocant, ſunt ſopor uigilans,cibi faſtidiũ, angor, uox uitiata. cùm uerò ſopor uigilans oriatur ex pituita cum bile permiſta, primo ſi hæc illam ſuperat, caput ad cutẽ tonſum duabus oxyrhodini tepidi portionibus,unà olei chamæmelini fouere cõuenit: ſi contra bilem pituita,duabus olei chamæme-

lini, una oxyrhodini: deinde acrius medicamentũ, quod utrũq; humorem ducat, in inteſtinũ rectum inijcere oportet. tum ruta ex aceto cõtrita, & cum ſtruthio cõminuto miſta, naribus eſt illinẽda: theriaca uerò Mithridatis melle excepta, palato. Sed cibi faſtidiũ, ex humore putrido natum, quibus modis curãdum ſit, ſuprà dixi. ijſdem uerò angor, quem praui humores gignunt, ſanatur. ut autem hi, qui cibũ faſtidiunt, uires conſeruent, ad eum aſſumendum ſunt compellendi. nam qui comedunt, etiamſi appetitus eſcis obluctetur, plerunq; ex hoc morbo peſtilente euadunt. uerùm quia pituita, quæ in aſperam arteriam deſtillat è capite, uocem uitiat, poſtquã medicamento purgata fuerit, æger raucedinẽ linctu medicæ potionis, quæ è dulci radice nomẽ inuenit, diſcutiat. ſed in dolore capitis & uigilia cæteriſq; ſymptomatis eadem auxilia, quæ ſuprà expoſui, ſunt afferenda. At phreniticis, quòd etiam ipſi laborent ardente febri, eiſq; non diſſimilia accidant, eadem quæ febrientibus medicamenta ſunt adhibenda

hibenda. ſed cùm præterea bilis, cui hu mor ſero ſimilis eſt admiſtus, cerebro uel eius membranis læſis tumorē fecerit, is, quod ad ſanguinis detractionem per uenas & cucurbitulas pertinet, eo modo, quē ſuprà explicaui curatur: quod ad cætera, eo quo uigilans ſopor. uerùm caput tandem etiam decocto uerbenæ & chamæmeli fouere oportet, ut eius reliquias diſcutiat. Sed oris partes, ſi peſtilentibus aphthis, quibus putredo coniuncta eſt, infeſtanť, collui decocto debēt quod habet rhois obſoniorū p. IIII. ✢. balauſtiorum p. III. ✢. camphoræ p. I. ✢. aquæ ſtillaticiæ roſæ ſelibrā, plantaginis quincuncem, oxalidis trientē, ſolani quadrantem. decoquātur ad tertias. colatis & per linteū expreſſis additur potionis, ex acido mali citrei ſucco & ſaccharo facta, uncia, & ſucci ſpiſſati è moris & melle & ſapa confecti ſeſcuncia: iterū coquuntur & colantur. cùm uerò lingua inflāmata fuerit, æger os eluat prius decocto ſolani, ſedi, roſæ: poſterius oleo acerbo cum maſtiche cōminuta miſto. gingiuarū autē ab-

ſceſſus ſi in ſe continent humorē calidū, æger eos primo ſæpius eluat aqua roſacea: ſi frigidum, chamæmelina: ſi miſtū, aquis ſtillaticijs, quas modo cōmemoraui, miſtis. deinde crebrius eos eluat oleo maſtichino, tū ſucco rutæ. uerū ſi hæc medicamēta nō diſſipāt abſceſſus, ſed eos ſuppurant, æris ſquamā in puluerē contritā, & aceto exceptam medicus ipſis illinat. Sed tubercula fauciū, quę anginā gignūt eadem ratione, qua ipſa angina, curātur: omiſſa tamē Andromachi theriaca. Hactenus de tumoribus interioribus: nunc ad exteriores accedo. eryſipelata, ſacri ignes, carbūculi, tubercula, cæteriq; tumores, atq; abſceſſus non alio modo, quo dixi, ſanādi ſunt. uerū ne putredines, quæ cū tumoribus cōiungi ſolent, neruos & oſſa carne denudent, pares ſandali & glebæ Armeniæ portiones cū oleo roſaceo & aceto miſtæ, partib. ulceri uicinis ſunt illinendæ. ueruntamen earū curationē in libro De putredine, corporis partes corrūpente, planius explicabo. quāquā aūt iſtiuſmodi etiā tumores ſunt refrigerādi, ta-

men

men medicamenta, quæ multũ reprimũt, eis nõ ſunt adhibẽda, ne putridus humor in corpus redeat. Verũ iſtiuſmodi lippitudines poſtꝗ̃ pituita purgata, & ad ſcapulas ac dorſum frictionib. atq; cucurbitulis reuulſa fuerit, ſpongia primo, fenigræci decocto madefacta fouere oportet: deinde feniculi & meliloti decocto. q̃ etiã palpebræ turgidæ ſunt fouẽdæ. At cũ puſtulæ, quæ iſtiuſmodi febrim peſtilentẽ conſequi ſolent, ortæ fuerint, quia natura, materiã putridam & peſtiferã iſto modo perfectè abſoluteq; nõ expellit, tã eius conatus ꝗ̃ putredo reſidua ægri uires adeò debilitat, ut ſanguinis detractionẽ per uenã ſuſtinere nõ poſſit. atq; cũ eadẽ natura eã materiã peſtilẽtẽ partim exturbauit in cutẽ pectoris uel dorſi, uel mẽbrorũ, medico nõ cõuenit eã uena inciſa aliò trahere, illiusq; conatũ prohibere. attamẽ ſi æger fuerit iuuenis robuſtus, & ſanguine intra uenas putreſcẽte redũdauerit, initio morbi priuſꝗ̃ puſtulæ appareãt, uenã incidere licet raro cũ morbus increuit. q̃ ſanè tẽpore etiã cucurbitulas cute prius ferro

conciſa dorſo & ſcapulis imprimere licebit: atq; hirudines ad ora uenarũ, quæ in ano ſunt, admouere. initio etiam morbi cõuenit humorẽ: quo corpus ſuperfluit, medicamẽto purgare, poſtea nõ conuenit. ſed quàm primum puſtulæ apparuerint, ſi propter materiæ craſſitudinẽ, difficulter erũpunt, brachia & crura aliæq; corporis partes quotidie fricent̃, eaq; fricatiõe aſſidua eliciantur: imponãtur cucurbitulæ: detur acetũ ſaccharinũ cum aqua, in qua prius hordeũ, deinde ſaccharũ eſt coctũ: uel acetũ mulſum cum aqua mulſa: uel utrunq; cũ aqua, in qua radicis apij portio eſt decocta: uel deniq; ſi res hoc poſtulat, potio quæ habet hordei, ſeminis apij, utriuſq; p. VII. ✝. lentiũ p. XIIII. ✝. ficuũ ſiccarũ numero quinq;. hæc omnia in aquæ ſtillaticiæ intybi ſatiui, oxalidis, feniculi, apij, ſingularũ libra decoquantur ad tertias: deinde colent̃, & per linteũ exprimant̃, atq; ad decoctũ addant̃ potiõis ex acido mali citrei ſucco & ſaccharo confectę cyathi tres. potione ſumpta æger corpus ſub linteo, cui ſtragulũ ſit iniectũ, cõ-

tinere

tinere debet, eodemq; brachia & manus,
crura & pedes cõtegere. acriter præterea
intueri ueſtem uel pannum rubrum. eius
enim aſpectu materia peſtilens in cutem
elici poteſt. At alui morbis, hoc eſt in-
teſtinorum leuitate, uel eorundem exul-
ceratione laborãtes, difficulter curantur,
quòd plerunq; medicamẽtis purgãtibus
propter uẽtriculi putredine corrupti, im
becillitatem offendantur, & iiſdem eorũ
inteſtina magis exulcerentur, cùm ta-
men ſine ipſis facile curari non poſſint.
nam etiamſi multum humorem bilioſum
uel ſero ſimilem excernant, tamen mul-
tus, ut dixi, reſtat in corpore, & quidem
putridus: quod ſatis indicant reliquarum
corporis partium dolores qui non remit
tunt. itaq; cum humor iſte ducendus ſit,
& ſi temere ducendus non eſt, aluus ſi-
ſtenda, res medico ancipitem medendi
curam affert. ſed ſiue hoc ſiue illud agat,
medicamẽtis cuiuſq; morbi proprijs ad-
miſceat ea quæ putredini reſiſtunt. qua-
lis eſt, ut ſæpe dixi, medica potio ex aci-
do mali citrei ſucco & ſaccharo facta: ta-

lem autem inteſtinorũ leuitatem, ſi eam pituita craſſa & putrida, in uentriculi tergus infarta gignit, acetum mulſum uel acetum ſaccharinum cum potione ex acido mali citrei ſucco & ſaccharo facta dare conuenit, ut eam extenuet. deinde, ſi ægri uires patiuntur, ipſam hiera picra purgare: qua etiam purgatur bilis, quam idem uentriculi tergus combibit. tum, ſi pituita purgata eſt, extrinſecus uentriculo illinire oportet oleum maſtichinum: ſi bilis, roſaceum. At cum æger exulceratione inteſtinorum infeſtatur, ſi ea fuerit in ieiuno uel in tenuiore inteſtino, medica potio quę glutinet dãda eſt: ſin in craſſiore, medicamentum, quod idem facere poſſit, tepidum ex inferioribus partibus infundendum. potio ſit è roſa, uel bacca myrti, uel malo cotoneo & ſaccharo facta, & permiſta cũ decocto, quod habet roſæ, folij plantaginis, folij ſymphyti, ſingulorum manipulum. radicis ſymphyti, radicis uerbaſci, radicis rubi, ſingularum pondere III. ✠. baccæ myrti, rhois obſoniorum, ſeminis plantaginis, ſeminis

ſymphyti,

ſymphyti, ſingulorum p. I I. ⚹. balauſtiorum, mali corij, corticis thuris, ſingulorum p. I. ⚹. ex aquæ, in qua candens ferri acies eſt reſtincta, tribus heminis decoquuntur ad tertias. huius autem decocti duę partes una alicuius potionis ſuprà dictæ temperātur. uerum æger prius quàm ſumat hanc miſturam, bibat aquam in qua hordeum eſt decoctum, cum melle roſaceo miſtam, ut ulcus abſtergat. eadem de cauſa, anteaquam medicamentum, quod glutinat, per inteſtinum rectum in craſſum infundatur, aquę, in qua hordeum eſt decoctum, libram, & mellis roſacei quadrantem infundere oportet. medicamentum uero habeat decocti ſuprà deſcripti libram, olei myrtini ſextantem, olei roſacei unciam, ſanguinis draconis, terræ Lemnię, glebæ Armeniæ, ſingulorum pondere ⚹. trientem. ſed quia interdum ſummus ulceris dolor, quem acris humor commouet, uires conuellit, is rationem curationis ad ſe uocat. infundenda igitur ſunt ea, quæ acrem doloris morſum mitigare queunt. quod genus

nus ſunt adeps hircinus, anſerinus, gallinaceus, medulla ceruina, tragi ſuccus, amylum, ceratum roſaceum, oleum roſaceum. album ex ouis crudum, tragacantha, gummi. ea uero diluantur in iure nõ ſalito capitis aut inteſtini ueruecis, uel arietis, uel ouis, uel agni, uel capri, uel hirci, uel capræ, uel hœdi. itaque in iſtius modi medicamento ſit iuris ueruecis dodrans, adipis hircini quadrans, cerati roſacei ſextans. At eadem medicamenta, ex inferiore parte indita, inteſtini recti ulcus, quæ craſſi uel tenuis uel ieiuni ſanãt. ſed quoties æger deſidit, toties oportet anum ſubluere aqua calida, in qua uerbenæ ſunt decoctæ. debet etiam quandiu poteſt, quieſcere. hæc enim ipſa mora ad ulcus ſanandum eſt accommodata. cibi ſint qui leniter aluum aſtringunt. cuiuſmodi ſunt oryza, pyra, mala cotonea, ſorba torminalia, baccæ myrti. quæ omnia coquantur in aqua pluuia, uel, ſi ea in promptu non fuerit, in fontana, in qua candens ferri acies eſt reſtincta. potio ſit eadem aqua cum ſucco mali cotonei miſta, uel

ſta, uel cum uino ex myrti baccis expreſſo: aut aqua, in qua malum cotoneum, uel arida ſorba, uel myrti baccæ, uel mora rubi decocta ſint. ueruntamen ſi peſtilentes humores inteſtina non exulcerarunt, fluor uentris temere tenendus non eſt, ne hi ipſi, qui utiliter effunduntur, medicamento, cibo, potione retenti uiſcera lædant, & hominem interimant.

Quoniam uero interdum, cum aluus uel iſto modo uel ſua ſponte ſupprimitur, dolor inteſtini plenioris aut tenuioris, quem uocant uoluulum, conſequitur, locum dolentem oleo, in quo anethum & cuminum ſint decocta, ſępius fouere oportet: atque anethi decoctum potui dare. quinetiam ſi dolor eſt in pleniore inteſtino, in rectum infundere: ſi in tenuiore, ſorbere maluæ decoctum cum oleo anethino miſtum. hæc enim ſtercora molliunt, & dolorem ſedant. Verum qualis ſit peſtilens tabes ex his, quæ dixi, perſpicuum eſt. & ſi uero hac correpti perraro ſanitati reſtituuntur, tamen eis eſt adhibenda curatio. atque primo humor,

humor, qui multus è capite deſtillat, medicamento bene purgandus. id tale eſſe debet quale humorem ſero ſimilem ducit. deinde potio danda quæ & ulcus purgat, & facit ut ægrotus facile purulenta, ſi quæ in illius pectore fuerint, extuſſiat. qualis eſt acetum ſaccharinum & è dulci radice: cum quibus, ſi febrit, miſcere cōuenit potionem aliquam ex ſucco uel oxalidis uel mali citrei & ſaccharo factam. cibus uero ſit ſorbitio ptiſanæ cum ſaccharo permiſtæ. tum uorādum illi ſaccharum roſaceum uetus. id enim nō modo ulcus purgat, ſed etiam glutinat.

Reſtat ut de curatione peſtis tertij gēneris dicam. ad quam curandam, quod oriatur ex his cibis & potionibus, in quibus ueneni uis aliqua ineſt, etiā ſex ſunt ſignificationes: calor uidelicet febrilis, interior putredo, uaporum retentio, uiſcerum obſtructio, humorum redundantia, cibus uirulentus aut potio corrupta. ægrotus autem, qui peſſimis eſculentis, uel corruptis poculentis aſſumptis hac peſtilēte febri laborare cœpit, primo deuoret,

uoret, aut oxalidis aqua dilutam bibat antidotum, quæ uim ueneni debilitare & mutare poteſt. qualis eſt Andromachi theriaca, Mithridatis theriaca, eclegma ex euforbio, ſmaragdus. deinde ſi uenenum comeſum uel potum uires non abſtulit, aut uenam incidat, idq́ agat cùm ſanguis in corpore redundat: aut aluum, cum humor aliquis, medicamento ducat. cum quo quidam ex Arabicis ſcriptoribus permiſcet ſtercus colũbinum, quod putredinem, ut ipſe ait, purget. tum putridus & peſtilens humor, ſi homines oculis priuat & tuſſi conquaſſatos ocyus interimit, acrioribus medicamentis in inteſtina infuſis, & cucurbitulis primo ſcapulis, atque dorſo impoſitis, mox natibus, cute ſemper ferro prius inciſa, reuellendus eſt: facies frigida ſæpius eſt diligenter lauanda: oculi fouendi crebrius aqua, in qua roſa eſt decocta, uel ſimul cum ea fructus rhois obſoniorum, uel flos acidi mali punici, uel mali corium: hac eadem aqua, ne tuberculum in faucibus oriatur: frequentius gargarizandum

tum poſtea boni ſucci & cibis uelcatur, & potiones aſſumat. quorum utrunque ni tunc habeat in promptu, nulla antidotus ipſi poſtea poterit eſſe ſalutaris. quod uero ad cæteras ſignificationes, ſymptomata, tumores pertinet, eadem, quæ de primi & ſecundi peſtilentiæ generis curatione præcepi, facere conuenit. ulcera quoq; phagedænica, ex craſſis humoribus orta, quæ carnem cuti ſubiectam ſimul cum ea depaſcũt, eodem modo, quo alia mala ulcera ſanare oportet: atque etiam confluxionem humoris, ſi nobis id interior putredo uirulenta permittit, prius inhibere. ſed ulcera quæ ſpeciem gerunt inflammationis, aut eryſipelatis aut ſacri ignis, aut impetiginis, aut ſcabiei, aut lepræ, curanda ſunt unguento, in quo ſunt olei roſacei pondere VII. ✝ reſinæ Laricinæ pondere XIIII. ✝ ſucci mali arantij pondere IIII. ✝. ſulfuris puri & ignem non experti pondere III. ✝. lithargyri pondere II. ✝. molibdænæ p. I. ✝. ceræ quantum ſatis eſt, ſi ulcera hoc unguento delibuta ſanitati reſtituta non fuerint,

ſuerint, unguenta & emplaſtra, quæ ſupra commemoraui, ſunt adhibenda.

His ſane modis trium peſtilentiæ generum febres, morbiq; cum eis coniuncti, & ſymptomata, quibus aut remedijs aut alleuamentis eſt ſubueniendum, curari debent. ſed quomodo ea, quæ Græci & Latini & Arabes de peſte ſcripſerunt, intelligenda ſunt, aliàs explicabo.

FINIS.

GEORGIVS AGRIcola Lectori.

Latinos ſcriptores, lector candide, ſecutus Romanis ponderibus & menſuris utor. ſi tibi Gręca, quæ nunc in uſu medico ſunt, magis placent, in locum ſeptem denariorũ drachmas octo reponas: nam ille hac grauior eſt ſeptima parte. Vt autem drachma diuiditur in ſex obolos, uel totidem dimidia ſcripula, ſic denarius in ſex ſextãtes. atq; ſicuti denarij ſexta pars eſt ſextans, ita quarta quadrans, tertia triens, dimidia uictoriatus. cuius nota eſt Ψ. denarij uero ӿ. uerũtamen Cornelius Celſus in uictoriati locũ ſemis ſubſtituit. ſed quatuor ſextantes efficiunt beſſem: quinq; dextantem. At ſextarius Romanus capit uncias uiginti menſurales, hemina decem, cyathus plus quàm ſeſcunciam, ut in libris, De menſuris & ponderibus expoſui.

INDEX EORVM, QVAE IN HOC De peſte opuſculo continentur, locupletiſſimus.

ACanthij & citrei mali ſemen, item ſuccus & cortex eorum contra peſtem ualent 80
Aceti qualitas 86
Acetum ſaccharinum 113.117
Acron medicus, & Empedocles, ignium ui, peſtem à Siciliæ urbibus auertiſſe ſcribuntur 60
Aer peſtilens unde efficiatur 11.39.40
Aeris ſtatus calidus & humidus, ſi cauſa efficiens peſtis fuerit, quibus corporibus nociuus 54
Aer peſte laborantis anima corruptus quomodo corrigendus 119
Aeger ne deficiat, quali cibo & potione fouendus 118
ἀλεξίκακος, Apollo 42
Alui ægrotationibus extinguũtur, pleriq; moriuntur 10
Alui fluor, quando & quomodo ſupprimendus 142
Alui morborum in peſte curatio 153
Alpinis gutturis tumor familiaris 9
Ambra 79
Andromachi Theriacæ commendatio, & ſumptionis ratio & modus 77
Angelus peſte 70.millia Iſraelitarũ interemit 57
Anglica peſtis 17.112
Anni temporis ratio in peſte 104
Annus pluuius, et humidus aeris ſtatus unde efficiatur 29
Annum quibus intemperies cœli euentura ſit, non poſſe ullius hominis prouidentia præuideri 87

Antidotus Apollonij Muris 79
Antidotus ex ouo 111
Antidotus Mithridatis 79
Antidoti nobilis contra peſtem deſcriptio 110
Antidotum ſi æger reuomuerit, quid agendum 111
Apollinem peſtis autorem eſſe. 24. *& eius inde co-gnomina* *ibidem*
Apollonius Tyaneus ab Epheſo peſtem auertit 57
Aphthæ unde 31
Aphtharum curatio in peſte 149
Aquæ cloacales, lacuſtres, paluſtres ac putridæ quomodo corrigantur 89
Armeniacæ glebæ commendatio 77
Aron quàm ſalubre ſit 28
Artis hominis qualitas 73
Auſter corporibus præcipuè nociuus ac peſtiferus 20
Autumnale tempus cur peſtem ſæpiſsimè producat 45
Balena in litore Thuſco putrefacta peſtē excitauit 14
Balnearum uſus in peſte 86.87
βȣβὼν 113
κακοχυμία 52
Calor putridus 21
Camphora 80
Carbūculus ſi ſeparatim oriatur, quomodo curādus 132
Carbūculus maturatus & ruptus quomodo curādus. 132
Carbunculus, ſi propter malitiam maturari nequeat, ſca-rificandus, & adurendus medicamētis erodētib. 133
Carbunculus unde 31
Carbunculi generatio 25
Charoneæ ſcrobes 11

Cha

Charoneas ſcrobes, putridos ac mortiferos effundentes ſpiritus, peſtem excitare 18 (141
Cibi faſtidium ex calore febrili ortum, quomodo leuandũ
Cibus peſte laborantis, qualis ſit 116.156
Cibi quales cõueniant ſingulis temperamẽtis in peſte. 85
& qui non conueniant 86
Cauſarum peſtis enumeratio, quas medici ponunt 11
Cauſæ euidentes alterius peſtis, ex diuturna aeris intemperie exortæ 28
Cœli ſtatus 73
Cœli intemperies quibus ab aere peſtilente ſecerni ac internoſci poſsit 44
Cœlum cur in hyeme quandoq; tonitru contremat, fulgetrum emittat, fulmen iaciat 44
Cor intemperie quo pacto calida carere poſsit 69
Cordis angori ſuccurrentia 142
Vnicornis in peſtilentia efficax 80
Cornu ceruinum atq; os de corde cerui ibid.
Corpora humana è quibus cauſis putreſcant 11
Corporum habilitas peſtem contrahit 49
Corpora quomodo medicinis corroborentur, ne aeris peſtilentiam contrahant 76
Corpora quæ peſti minus obnoxia, & quomodo pura eſſe poſſent, aut quomodo ab excremẽtis purgari queãt pagina 68.69.71
Cruditas, quæ uentriculum offendit, & in uaſis eſſe ſolet, quomodo præcauenda 76
Cucurbitula quãdo apponẽda ægro in peſte 114.121
Cyphææ præſtantia 78

Delicata medicina Perſarum 125.144.145
Dementiæ, uigiliam comitantis curatio 140
Demetrij Græci, modus in auertenda peſte mirabilis 58
Dictamni Cretenſis folia 80
Διὰ δαφνίδων emplaſtrum 115
Eclegmatum deſcriptio, quorum uſus eſt in peſte 81
Elephantiaſis Aegyptijs propria 9
Empedoclis contra uentum aerem peſtilentem Agrigento inferentem, machinatio, & cur κωλυσανέμας dictus 60
Empedocles quomodo Selinuntios peſte liberarit 90
Emplaſtrum ad carbunculum cum modica inflammatio-
ἔνδημος καὶ ἐπιχώριος 9 (ne 131
Enneapharmacum emplaſtrum 129
ἐπικούριος, Apollo 42
Epidaurius anguis Romam aduectus, peſtem triennalem auertiſſe creditus 58
ἐπίδημος καὶ ἐπιδήμιος, eiusq; ſpecies 9
ἐπιδημίου prima ſpecies in Thaſo unde ſit orta 10
ἐπισπαστικὰ emplaſtra 115
Epithemata in peſte quomodo conficienda 84
Epithema peſte laborantis cordi quale inijciendũ 183
Eryſipelas cum inflammatione unde 10
Eryſipelas in peſte quale 97.98 eius curatio 171
Excrementorum uaria genera 22
Exemplum peſtis à putrida expiratione 35
Exempla peſtis, quæ partim ex hominum cæde & fame, partim ex naufragio ciectis in littore & inſepultis, oborta eſt 12

Exem=

... ſtis, è cadaueribus locuſtarum putrefa-
... procreatæ 16
Exempla peſtis locorum propriæ 16
Exhalationes putridæ 21
Exempla febris peſtiferæ ſecundi generis 29.30
Exemplorum febris putridæ & peſtilentialis enumera-
Fabula de Pandura explicata 17 (tio 37
Febris, ἐκτικὴ 21
Febris diaria ſiue ἐφήμερος 22
Febris putrida cur peſtilens dicatur 29
Febris ardens unde 30
Febris quomodo uno die naſcatur, & in peſtilentem con-
uertatur 51
Febrim putridã, cur peſtilens putrida cõſequatur 50
Febris peſtilẽtialis ſecũdi generis cur ſit rarius acuta 33
Georgius Agricola quibus peſtis generib. interfuerit 4
& quos autores in hoc opere potiſs. ſit ſecutus 5
Georgius Commerſtadius 6
Gingiuarum abſceſſus unde 30
Gingiuarum abſceſſus in peſte curatio 149
Glebæ Armeniæ uis 130
D. Gregorij temporibus, peſtis, qua etiam Pelagius pon-
tifex interijt, populi Romani precibus, ab urbe Roma
repulſa fuit 58
Halituum retentio quando relaxanda 145
Hippocrates peſtem Athenis, accenſis coronis & rebus
odoriferis, auertit 59
Homerus ac Lindij, Apollinem, id eſt, ſolem, cauſam pe-
ſtis putarunt 42

M. Hoſtilius quomodo Salapiã in aliũ lo.
& Salapinos annua peſte liberauerit
Humorum redundantium ſigna 71
Ex putridis corporis humoribus præter peſtẽ, alios quoque morbos generari 38
Humores crudi quando putreſcant 53
Humores ne ad ægroti caput ferantur & mentem turbẽt, quomodo occurrendum 122
Humoribus uarijs in corpore redundantibus quæ medicina porrigenda 144
Humorum putredinis curatio 146
Iacobus Ritius 133
Iecoris inflammatione laborantis, cura 135
Indicationes peſtis curandæ ſunt 105.109
Inflammatio linguæ unde 30
Inflammationum peſtilentium curatio 114.127
Inflammationis pus maturatum quõ cognoſcatur 128
Intemperiem cœli futuram à nullo poſſe præuideri 87
Inteſtinorum leuitas unde 32
Lactucæ qualitas 85
Lenticulæ 31
Linguæ ariditas ac ſcabricies, quomodo auferenda. 141
Lippitudo unde 31 Item 82
Liquorum ſtillatitiorũ præparatio & doſis contra pe-
Locuſtæ unde putreſcant 15
λοιμὸς, peſtilentia 8 λοιμώδης, Apollo 42
Lues 10 (115
Malagmata attrahendi uim habentia, ex quibus conſtent
Maſsilienſiũ peſtis ex fame quomodo producta 35

Me-

Medici prudentis officium 110.127
Medicinarũ compoſitarũ contra peſtem enumeratio 79
Medulla cadauerum comeſta,ſubitò mortui 38
Mithridatis Theriaca 79
Morborum communium duo genera 8
Morbi Arabibus proprij 9
Morbi,qui cum peſte primi generis coniunguntur 24
Morſiunculæ 31
Mortis periculum in peſte quib. 94.95.96.97.98
Mortui peſte ſignum 96
Myrrhidis radicis laus 78
Naturæ hominis qualitas 73
Nicolaus Maſſa Venetus 133
Omphacij qualitas 86
Oſtiæ peſtis 14
Oxyrrhodinum capitis 137
ὀξύμελι 113 Oxyſaccharum ibidem
Palpebrarum tumor unde 31
Patrisfamiliæ prudentis officium in coemendis & condendis frumentis 87.88
Peſtilentiæ ſecundum ueterum Græcorum ſcripta, quot genera 4
Peſtilentia tabifica, Q. Seruilio Hala, & L. Genutio Coſs. in Romanos inuaſit 18
Peſtilentiam non ſemper ire meridianis partibus ad Occaſum ſolis contra Plinium, exemplo Atticæ peſtis, declaratur 19
Peſtilentiæ ſecundi generis,definitio 30
Peſtilentiæ ſecundi generis ſymptomata, & eorum explica-

plicatio 32
Peſtilentia primi generis proprium 46
Peſtilentiæ affectorum miniſtri, bacillos decorticatos in manu geſtare debent, ut hac nota dinoſcantur 61
Peſtilentiæ obnoxia quæ loca 67.68
Peſtilentiæ primi generis inflammationes, quomodo curandæ 134
Peſtis, peſtilentia, peſtilitas, λοιμὸς, idem 8
Peſtilentis febris putridæ cauſa efficiens 21
Peſtilens febris putrida unde gignatur 56
Peſtis, qualis morbus 8
Peſtis cur omnium morborum pernicioſiſsimus 3
Peſtis uera definitio, & unde peſtis oriatur 10
Peſtis, ex piſcium mortuorum teterrimo odore in Auerno lacu orta 14
Peſtis in Aegypto unde 15
Peſtis in Germania quando, & unde ibidem
Peſtis in Africa ex locuſtarum putredine orta 15
Peſtem in una regione ortam per peregrinos atq; aduenas, plures regiones ſalubres inficere poſſe 20
Peſtis calidæ cauſa efficiens 21
Peſtis ſemina 21
Peſtis primi generis ex putridis exhalationibus ortæ, definitio 23
Peſtis primi generis ſymptomata, & eorũ explicatio 26
Peſtem ſecundi generis multis modis uariari 30
Peſtis tertij generis ex corporis ſuccis ad putreſcendum aptis, procreata 34
Peſtis tertij generis definitio, & exemplũ horrendũ 38

Peſtis uariæ & multiplices cauſæ 39
Peſtem ex humoribus putreſcentibus ortam, quid antecedat 45
Peſtis primi generis Romæ 46
Peſtis ſecundi generis proprium 46
Peſtis tertij generis proprium 46
Peſtis tribus generibus quid commune 46
Peſtis primum genus, quid à reliquis differat 47.48
Peſtis efficiens cauſa 59
Peſtis qua ratione auerti poſsit 59.60
Peſtis quomodo arceatur 61
Peſtis quomodo fugienda, & quibus fugere nõ licet, quomodo præmuniendum 63
Ligna peſtem prohibentia 62
Peſtis ne in homines irrũpat, quomodo cauendũ 82.83
Peſtis ex aere putrido orta quomodò cognoſcatur 90.91. ex diuturna aeris intemperie 96.97. ex cibis mali ſucci 104
Peſtis trium generum curatio 105. & deinceps
Peſtis Anglica 112
Peſte liberatis quomodo uiuendum 143
Peſtis ſecundi generis curatio 144
Philoſophi artis magicæ periti quomodo ab urbibus peſtem auerterint 57
Phrenitis unde 25.30 (34
Phrenitici quid à peſte ſecundi generis affectis differant
Phreniticis quæ medicamenta adhibenda 148
Pixides ex lignis odoratis, metallicis præſtare 67
πλῆθος 52 πληθώρα 54

Pluuius

Pluuius & humidus cœli ſtatus omnium grauiſsimus ac peſtilentiſsimus 28
Podagra Atticis propria 9
Portulacæ qualitas 85
Potio quæ peſte laboranti conueniat 117.156
Potionis flauam bilem ducentis deſcriptio 123. atram bilem pituitamq́; ducentis 124.125.126
Pueri, adoleſcẽtes ac iuuenes potiſsimũ peſte corripi 53
Puluis nobilis contra aeris infectionem, ex quibus rotulæ, pilæ & candelæ confici poſſunt 66
Puluis contra peſtem 80
Puſtulæ magnæ & humiles in cute, unde 31
Puſtularũ tertium genus uaris ſimile, unde oriatur 31
Puſtulæ in peſte quid ſignent 99
Puſtularum in peſte curatio 152
Putredines quibus notis diſcernantur 40.44.45
Putredo & putrida qualitas 21
Pythagoras à Thurio & Metaponto peſtem auertit 57
Quadrupedes cur prius peſte inficiantur q̃ homines 42
Radices contra peſtem 80
Ruffi potionis commendatio 75
Sacerdotes Neptuni ſolenni hac precatione, piacula pro nobis ſunto, peſtem ex altiſsimis locis, aut littoribus in mare præcipitarunt 58
Salutis ſigna in peſte 98
Sanguinis è naribus profuſio, quomodo ſiſtenda 143
Sanguinis fluxio in peſte. 128. & quomodo ſupprimatur 143
Scarificationis uſus ad peſtem 130
Semitertiana Romanis propria 9

Senes Eryſipelate leuiſsima de cauſa laboraſſe 56
Senes minimè ſentire peſtilentiam 54.56
Simplicia, quæ contra putredinem aeris auxiliantur 64
Simplicia ſiccantia 85.86
Smaragdus 79
Spongia odorata quomodo ſit utendum 67
Succinum 79
Succi corporis ad putreſcendum apti, & peſtilentes unde gignantur 34.38
Succorum enumeratio, qui contra peſtem ualent 80
Sudor Anglicus 17.112
Sudor ægro quomodo eliciendus. 112. & quàm diu ſudandum ibidem
Sues morbidas, in bubus ſi pabulo ipſarum ueſcantur, peſtilentiam excitare poſſe 37
Sulfur uirgineum 127
συνοχὸς & συνεχὴς, febris 24
Symptomata morbi 72
Symptomatum in febre peſtilentiali, curatio 137
Tabes unde 31
Tabis peſtilentis curatio 157.158
Terræ uiſcera unde putreſcant 17
Terræ motum in Germania, cur peſtis ſubſecuta 41
Terræmotum in Luſitania peſtis ſecuta 41
Terra Lemnia 79
Tertiana continua 24
Tetrapharmacum cum roſa, uel unguentum reſinæ laricinæ liquidæ cauitatem ulceris carne implet 129
Theologi peſtis cauſam in Deum, aſtrologi uerò in ſiderum

rum poſitus, referunt 10
Theriacæ Andromachi uis, porrigendiq́; modus in peſte (109
τελφεgὰ medicina 125.144
Tubercula unde 30
Tubercula faucium quomodo curentur 150
Tumoris peſtilentis curatio. 114.127. uide Inflãmatio
Vaporum retentio quando relaxanda 145
Variculæ 31
Venæ inciſio 106.107.120.121
Venenum calidum 21
Veneti ex plebe peſte affectos quomodo in Lazaretum uetus exportent, & à morbo conualeſcentes quando reducant 62.63
Ventos, aerem peſtilentem, in qua primo natus fuit, in alias regiones perferre, exemplis probat 19
Ventris fluor quando non retinendus 157
Vigiliæ quomodo remouendæ 137
Victus ratio in peſte 84.85. & deinceps
Viri & ſenes quare minus cæteris peſte cõflictentur. 54
Viſcerum obſtructio quibus ſignis deprehendatur 76
Vlcus peſtiferum quando & quomodo purgandũ 129
Vlcerũ inflammationis, aut eryſipelatis, aut ſacri ignis, aut impetiginis, aut ſcabiei, aut lepræ ſpeciem præferentium curatio 160.161
Vnguentum peſte laboranti illinendum 118
Vnguentum ad ulcus peſtiferum 129
Vnguentum roſaceum Priſcillianiſtæ 130
Vnguentũ ad ulceris peſtiferi nigritiem remouendũ. 131
Voluulus morbus, & eius cura 157

FINIS.

Erratorum caſtigatio.

Pagina 37.linea 1.lege per arterias. p.59. corrige numerum. p.60.11.κωλυσαμψ́νας. 90.20.quæ ad eos ipſos. 93.7.ſtatim. 96.16.formicantem. 112.25. mouent.149.19.factæ. Si quæ alia offendes,leuicula ſunt.

BASILEAE PER HIER. FROBENIVM, ET NIC. EPISCOPIVM, ANNO M. D. LIIII.

BIBL. NAZ. VITTORIO EMANUELE

FROBEN